12

# DISSERTATIO
## INAUGURALIS
# MEDICO-CHIRURGICA

SISTENS

**BREVEM CLINICI CHIRURGICO-PRACTICI REG. SCIENT. UNIV. HUNGARICAE DESCRIPTIONEM, AEGRORUM PER DECURSUM IV. ANNORUM: $18\frac{26}{27}$, $18\frac{27}{28}$, $18\frac{28}{29}$, ET $18\frac{29}{30}$ IN EODEM CLINICO TRACTATORUM NUMERUM, ET OPERATIONES IN IIS FACTAS, MEMORABILIORES TANDEM QUOSDAM PRACTICOS AEGRORUM EIUSDEM CLINICI CASUS,**

QUAM ANNUENTE

MAGNIFICO DOMINO PRAESIDE AC DIRECTORE, SPECTABILI DOMINO DECANO AC CLARISSIMIS D. D. PROFESSORIBUS PRO GRADU DOCTORIS RITE CONSEQENDO IN ALMA AC CELEBERRIMA REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE PESTIENSI PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

**SIGISMUNDUS TESSÉNYI,**

NOBILIS HUNGARUS LUGOSINO-KRASSOVIENSIS, PROFESSORIS CHIRURGIAE PRACTICAE EMERITUS ASSISTENS.

---

Theses adnexae publice defendentur in Palatio Universitatis majori, die 13 Septembris.

PESTINI 1831.

TYPIS JOSEPHI BEIMEL, TYPOGRAPHIAE STRIGONIENSIS, ET UNIUS E PESTANIS PROPRIETARII.

CLARISSIMO AC SPECTABILI

DOMINO

# IGNATIO A STAHLY,

AA. LL. ET PHILOSOPHIAE, MEDICINAE AC CHIRURGIAE

DOCTORI,

ANATOMIAE ELEMENTARIS PROFESSORI P. O. INCLYT. COMIT. ALBENSIS, KRASSOVIENSIS, NEOGRADIENSIS ET TOLNENSIS TABULAE JUDICIARIAE ASSESSORI, FACULTATIS PHILOSOPHICAE MEMBRO AC REGIAE SCIENTIARUM UNIVERSITATIS HUNGARICAE EMERITO

**RECTORI MAGNIFICO,**

VIRO

SCIENTIA, ARTE, EXPERIENTIA

NEC NON HUMANITATE

INSIGNI;

IN TESSERAM

CULTUS PII, ANIMIQUE GRATI

HAS LABORUM SUORUM PRIMITIAS

SACRAS VULT

AUCTOR.

# PROOEMIUM.

Brevem hisce Clinici Chirurgico-practici Reg. Scient. Universitatis Hungaricae largior descriptionem; veritatis ductus studio non solum praerogativas huius Instituti attigi, verum sincere et incommoda commemoraveram, quibus premitur, quaeque sui desiderarent meliorationem. Adiunxi proxime numerum aegrorum per decursum quatuor annorum (utpote tempus, quo ad Cathedram Chirurgico-practicam munere Professori Assistentis fungebar) in Clinico tractatorum, eo tamen cum respectu, ut singulum seorsive adducerem

morbum; qualiter delectus aegrorum clarus fieret. Huic succedit enumeratio operationum intra spatium temporis supramemoratum institutarum. Ultimo demum casus quosdam practicos memorabiliores aegrorum in Clinico tractatorum in medium adduxi; cum horum sincera elucubratio plurimum practicae involvat utilitatis, simulque methodum aegris medendi patefaciat. Taliter ordinatum laborem praesentem, Tibi Lector Benevole! trado et ut eum aequi pensitare velis, rogo.

---

## Clinici Chirurgico-practici descriptio, eius dispositionem, et Candidatos docendi, ac aegris medendi rationem continens.

Pertinent ad Institutum Chirurgico-practicum Conclavia tria in secundo contignationis tractu, quorum fenestrae versus solis ortum locatae sunt. Horum amplius, introitu in Institutum et duabus fenestris instructum, octo lectos continet, unum infirmario, ceteros viris morbo sic dicto externo affectis destinatos, spiraculis repurgando aëri idoneis provisum. Ex hoc patet introitus in cubile minus, una nonnisi fenestra, spiraculo nullo, duobus feminas excipientibus lectis, et scamnorum in utroque latere triplici ordine instructum. His quippe insident et insistunt Chirurgiae Auditores sub actu operationum Chirurgicarum, quae ob defectum distincti theatri lucidi, operationibus Chirurgicis inservientis, non sine molestia ex parte frequentiae auditorum et defectus debitae lucis obveniente, perficiuntur, eo in considerationem non sumto, quod vix dimidia Candidatorum Chirurgiae pars, in dictis scamnis locum habens, administrationes Chirurgicas oculis intueri possit. In utroque ergo cubili situantur lecti aegros excipientes ordinarie novem, qui plenum aegrorum Instituti numerum constituunt, quem non facile, exceptis casibus summopere instructivis transgrediebamur, lectum unum alterumve portatilem construentes. Itur ex hoc cubili minore in illud, quod Professoris Chirurgiae Assistens, habendae diligentis inspectionis causa et suppeditando

celeri, si opus est, adminiculo, proximus inhabitat. In hocce asservantur vestes lineae, apparatus instrumentales et fasciales, nec non machinae aliquot Instituti Chirurgico-practici, usibus quotidianis inservientes; quod deest, ex Armamentario Chirurgico ad Cathedram Chirurgicam pertinente adlatum, usibus Nosocomii inservit.

Frequentarunt vero hoc Institutum Auditores Medicinae in annum quartum et Chirurgiae secundum in annum, numero in annos, ut ex adiecta tabella patet, aucto.

## Auditores.

| | Medicinae | Chirurgiae Hungari. | Chirurgiae Germani. | Summa. |
|---|---|---|---|---|
| Anno $18\frac{26}{27}$ | 15. | 29. | 33. — | 77. |
| — $18\frac{27}{28}$ | 30. | 25. | 29. — | 84. |
| — $18\frac{28}{29}$ | 46. | 30. | 30. — | 106. |
| — $18\frac{29}{30}$ | 52. | 35. | 36. — | 123. |

In suscipiendis aegris ratio morborum acutorum et operabilium maxima habetur, sed et chronici casus conditionate suscipiuntur per menses aliquot tractandi, ut Candidati de his etiam debite iudicare, et horum morborum decursum atque curandi modum discant.

Confluunt vero aegri ad hoc Institutum non tantum ex sociabus Liberis Regiisque Civitatibus Pestiensi et Budensi quippe, sed ex variis etiam dulcis Patriae nostrae oris tanto numero, ut selectus eorundem debitus fieri possit. Hi, si morbo laborant primo obtutu dignoscibili, extemplo suscipiuntur; ubi vero ad morbi Diagnosin praevio et exacto examine opus est, a Professore Candidatis tamquam ordinariis, examinandi traduntur, quo in negotio id observatur, ut repetentes pro Magisterio primi aegros examinent, utpote, qui iam anno proxime praeterlapso ad ipsos aegrorum lectos usu et exercitio didicerunt, quatenus in examinandis, observandis et tractandis aegris procedendum sit. Designati a Profes-

sore Candidati aegrum in praesentia Assistentis examinant, momenta anamnestica et statum praesentem in chartam coniiciunt, atque in debitum ordinem redacta sequentibus diebus hora exercitiis Clinicis decima matutina destinata coram Professore et Auditoribus perlegunt. Ne autem aliquid, quod ad determinandum morbum refert, negligatur, Professor ipse de statu cum anamnestico tum praesenti aegrum examinat; quo examine, ea quae per ordinarios relata fuerunt, confirmantur vel mutantur. Tum Diagnosis formatur. Aeger ad tractandum aptus suscipitur, eique Ordinarii utplurimum terni e Candidatis a Professore constituuntur, unus Medicinae et duo Chirurgiae studentes, Hungarus quippe et Germanus, quorum quivis historiam morbi, medicus latino, Chirurgorum vero quisque idiomate suo proprio concinnandam et sequentibus diebus sub ordinatione matutina plenam cum Diagnosi, Aetiologia, Prognosi et Therapia publice perlegendam habent. Notandum memoratas has historiae morborum partes, ad initium exercitiorum clinicorum formari a Professore, tardius ab ipsis Candidatis, inprimis si obveniat casus, qui iam semel occurrit

Aeger susceptus abscisso praevie et pectinato capillitio, balneoque mundatus, vestes albas mundas Instituti induit, et lecto illocatur puro.

In Diagnosi indoles, et forma morbi, gradus, stadium, nexus et complicatio cum alio morbo determinantur; dein in causas morbi inquiritur; Prognosis quantum fieri potest probabilis statuitur; his demum Therapia rationalis superstruitur ac vitae regimen conveniens conformatur.

Ordinata ab Assistente libro Ordinationum medicarum, evitatis signis pharmacorum et ponderum, inscribuntur, qui liber ad pharmacopolium mittitur; praescripta diaeta assignatur; status morbi determinatus tabulis aegrorum cuilibet lecto praefixis per Canditatos ordinarios adnotatur; iisdem tabulis nomen et cognomen ac aetas aegri, dies adventus et institutae operationis, nomina ordinariorum, ut et ciborum et potulentorum quan-

titas; tandem remedia qualibet ordinatione praescripta distinctis Schedulis iuxta tabellas affixis adscribuntur. — Assistentis officium est medicamenta e pharmacopoea allata examinare, qui etiam heroica pharmaca non tantum ipse distribuit, sed et obsigillata adferri curat.

Historia autem morbi per Cancidatos ita continuatur; ut quotidiana observata, una cum Indicationibus et Therapia adhibita in chartam coniecta qualibet insequenti matutina ordinatione a Candidato uno alterove oretenus referantur, ut si quaedam erronea vel manca essent, rectificentur, modificentur. Cura vero peracta, ante aegri dimissionem, historia morbi tractati per ordinarium Medicum brevi recapitulatur ac epicrisi adiecta clauditur. Tota dein historia morbi per ordinarios munde descripta, triplici idiomate Assistenti traditur inter acta Clinici conservanda.

Ordinariorum officium est pro statuta ordinationum hora omnia ad aegrorum Deligationem requisita, ne sub ipsis exercitiis clinicis dispendium morae fiat, praeparata servare, ut dum unus eorum per Professorem provocatus de aegro refert, ceteri interea manuducente Assistente Obligamentorum solutionem tentent et exequantur; tantum initio anni Scholastici ut et primas post quamlibet graviorem operationem deligationes Professor, ordinarie vero illas partim Assistens auxiliantibus Ordinariis, partim hi postremi soli perficiunt, quo sub opere status morbi topicus exploranti oculo subiicitur et observatae nefors mutationes adnotantur.

Vesperi hora statuta, suppuratione vero profusa poscente etiam mature mane praesente Assistente Deligatio per Ordinarios reiteratur. In tractatione gangraenae vero aut sphaceli ad impediendam ichoris resorptionem Deligatio diu noctuque, si necessum est, omni tertia etiam hora, partim per Assistentem, partim per Ordinarios renovatur et apud quemlibet aegrum inde a proxima Deligatione contingens mutatio sedulo colligitur, aeger quoad praesentem suum statum examinatur, et haec omnia adnotantur. Denique necessarius pro proxima die deligationis apparatus in ordinem redigitur.

Semestri secundo in casibus morbi dubiis et ancipitibus Professor e Medicinae Candidatis tres designat, qui se praeparent pro servanda de aegro consultatione medica, ut in hac quoque praxeos medicae parte quodammodo exercitentur.

Stringuntur vero Candidati omnes ad inspiciendum aegris graviter decumbentibus, sauciatis, vel heroicam operationem perpessis ita, ut diu noctuque sibi succedentes bini semper circa aegros versentur, de omnibus faciendis et observandis debite instructi. His diebus Professor diu noctuque Nosocomium saepius adit, aegrosque visitat.

Omnibus Momentis operationem indicantibus scrupulose pensitatis, si nullum in mora periculum adest (quo in casu confestim suscipitur), dies operationis aegro inscio defigitur, et necessariae praeparationes fiunt; atque illa die paregoricum aegro exhibetur, tum in altero cubili planum operationis per Professorem exponitur, Assistens et ordinarii auxiliantes, quivis horum de officii sui parte praevie informantur; aegri consensus nunc expetitur, quo obtento, cura omnis in operando eo convertitur, ut operatio ordinate, manu tuta, stabili, tenera, et in quantum tuto non obest et cita perficiatur; patiens spe cito terminandae operationis erigitur, hac vero finita et haemorrhagia iam cessante recens factum vulnus obtegitur plumaceolo e linteo carpto puro molli et prius in aquam frigidam immerso, ne, dum siccum applicaretur, superficiei vulneris nimis adhaereat, et gravi postmodum haemorrhagia fors exorta, quae arteriae retractae deligationem posceret, cum magna vulneris irritatione dedesumi debeat; — hoc dein ceteris usu consvetis obligamentis firmatur, fomenta glacialia desuper applicantur et usque febris suppuratoriae invasionem diu noctuque diligenter renovantur; tum a fomentis frigidis cessatur. Quamprimum autem foetor liquidi per vulnus secreti percipitur nauseosus, obligamentis superficialibus impuris desumtis, quotidie bis terve aquam tepidam puram, aestate vero ad vermiculorum genesin et multiplicationem praevertendam pauco acido pyrolignoso remixtam, linteum carptum vulnus obtegens perfluere faci-

mus et Obligamenta immunda cum mundis commutamus. Omnis vero obligationis Apparatus nonnisi suppuratione iam ad effectum perducta renovatur, dum nempe pus secretum plumaceola a vulneris superficie solvit et elevat. Occasione secundae et ceterarum vulneris Obligationum plumaceola aquae calidae prius immersa apponuntur, emplastris firmantur, nihilque plus aestate fervente desuper ponitur; sub depressiore tamen coeli temperatura spleniis insuper tegitur fasciis debite firmatis, quibus tempore hiemali, nocturno praecipue tempore, ob cubilium refrigerationem, ad conservandam in parte vulnerata iustam temperaturam, adhuc linteum calefactum superponitur. — Granulatione per suppurationis processum debite procedente plumaceola sicca adhibentur et pus genuinum plasticum pro saluberrimo balsamo et omnia vulnera et ulcera sanante panaceo habitum, nunquam anxie detersum est. Nec facile in tractandis vulneribus suppurantibus alterius quam huius, vulnera contra aeris influxum tuentis pharmaci externi, plumaceolorum quippe, usum fecimus, fecimus tamen penes requisitam internorum pharmacorum adhibitionem in casibus sequentibus: 1. sub topice morbose exaltata sensibilitate: *decocti herbae hyoscyami* et *caloris* fomentorum siccorum forma appliciti; 2. sub energia vitali multum depressa: *infusi specierum aromaticarum*, *herbarum antisepticarum*, *ungventi digestivi therebinthinati*, *ungventi de styrace* et sensibilitate simul aucta praesente *extracti opii aquosi*; 3. sub atonia et laxitate: *saturatorum decoctorum florum Chamomillae vulgaris*, *corticis quercus*, *corticis ulmi campestris* et *vincturae strictioris*, praesente vero simul suppuratione profusa *acidi* insuper *pyrolignosi*; 4. denique sub granulatione luxuriante: *pulverum adstringentium*, *lapidis infernalis* vel in solutione vel baccillorum forma, quibus superficies luxurians attingebatur, perstringebatur.

Magnus est numerus aegrorum, in conspectu tabellari mox exponendo, titulo non sanatorum expositus. Horum plurimi non penitus sanati, alii vero vel plane non sanati, ut incurabiles cogniti, emendati vel non emendati dimissi fuerunt. Non penitus sanati abierunt,

ut factum est, dum ipse aeger domesticis adjunctis suis ita poscentibus exitum urgeret vel dum commoratio in aëre nosocomiali perfectam convalescentiam retardaret, aut ipsam valetudinem in aegris convalescentibus, aëri et ocupationi rurali adsvetis pessumdaret, vel dum aegros nostros cum aegris alterius Nosocomii commutaremus, denique, dum finis anni scholastici instabat et aegri ob brevitatem temporis nondum sanari poterant, quo in ultimo casu vel ad Nosocomium civicum Pestanum, vel ad illud fratrum Misericordiae et Monialium Budense translati sunt. Plane non sanati Nosocomium egressi sunt, qui operationi, licet unicum sanitatis obtinendae et vitae servandae remedium fuisset, nullatenus se subiicere volebant.

Pathologicas sectiones in Instituto demortuorum Assistens cum Candidatis ordinariis in praesentia Professoris et Auditorum perficit, omniaque adnotatu digna, cadaverum sectione detecta, per ordinarios connotantur et conscriptae historiae postmodum adnectuntur. Sectionis autem Resultatum proximis sub exercitiis clinicis perlectum cum morbi historia combinatur, et in quantum Diagnosis, Prognosis et Therapia nostra recta vel erronea fuerit candide et vere verbis exponitur.

Sequitur

# CONSPECTUS

## aegrorum Annis Scholasticis $18\frac{26}{27}$ $18\frac{27}{28}$ $18\frac{28}{29}$ et $18\frac{29}{30}$ tractatorum.

### Anno Schol. $18\frac{26}{27}$

| Nrus currens | Denominatio formae morbi. | operatus | sanatus | non sanatus | mortuus. |
|---|---|---|---|---|---|
| 1 | Nudatio ossis frontis. | — | 1 | — | — |
| 2 | Polypi carnosi faucium et nasi. | — | — | 1 | — |
| 3 | Carcinoma labii inferioris. | 1 | 1 | — | — |
| 4 | Calculi renales. | 1 | — | 1 | — |
| 5 | Hydrocele. | 1 | 1 | — | — |
| 6 | Carcinoma labii inferioris. | 1 | 1 | — | — |
| 7 | id. id. id. | 1 | 1 | — | — |
| 8 | id. radicis nasi et atheroma in vertice. | 1 | 1 | — | — |
| 9 | Fistula ani simplex incompleta externa. | — | — | 1 | — |
| 10 | Inflammatio genu dextri phlegmonodes. | 1 | 1 | — | — |
| 11 | Lues venerea c. ulcerib. syphil. protopath. et varicellae. | 1 | — | — | 1 |
| 12 | Meliceris in palpebra superiore oculi sinistri. | 1 | — | 1 | — |
| 13 | Calculi renales. | 1 | — | 1 | — |
| 14 | Contusiones et Urocystopyôcystis, cum abscessus abdominali et femorali. | 1 | 1 | — | — |
| 15 | Carcinoma labii superioris. | 1 | 1 | — | — |
| 16 | Lues syphil. cum ulcerib. primar. et bubonib. et phimosis congenita. | — | 1 | — | — |
| 17 | Pseudo-erysipelas faciale consensuale cum ulcere cavo palpebrae. | 1 | 1 | — | — |
| 18 | Caries ossium tarsi. | — | — | 1 | — |
| 19 | Nudatio ossis bregmatis dextri et ulcera sinuosa. | 1 | 1 | — | — |
| 20 | Erythema consensuale cum abscessu et ulceribus sinuosis. | 1 | 1 | — | — |
| 21 | Tumor lymphaticus in flexura cubiti sinistri, dolens. | — | — | 1 | — |
| 22 | id. albus tarsi sinistri scrofulosus. | — | — | 1 | — |
| | Summa | 15 | 13 | 8 | 1 |

| Nrus currens | Denominatio formae morbi: | operatus | sanatus | non sanatus | mortuus |
|---|---|---|---|---|---|
| | Translatum | 15 | 13 | 8 | 1 |
| 23 | Fractura tibiae et fibulae complicata cum vulnere contuso sphacelescente. . | 1 | 1 | — | — |
| 24 | Lues syph. cum condylomatibus ad anum. | — | 1 | — | — |
| 25 | Calculus vesicalis. . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 26 | Caries ossis lacrymalis et ethmoidei . | 1 | 1 | — | — |
| 27 | Abscessus in femore sinistro profundus.. | 1 | 1 | — | — |
| 28 | Fistula stercoracea in hypochondrio dextro. | 1 | 1 | — | — |
| 29 | Lues syphilit. cum bubone gangraenescente. | — | 1 | — | — |
| 30 | Induratio testiculi dextri et epididymidis sinistrae . . . . . . . | — | — | 1 | — |
| 31 | Hydrocele. . . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 32 | Steatoma sessile in latere frontis dextro. | 1 | 1 | — | — |
| 33 | Vulnus scissum transversum tracheae. | 1 | 1 | — | — |
| 34 | Panaritium tendineum digiti indicis dextri. | 1 | 1 | — | — |
| 35 | Carcinoma apicis nasi . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 36 | Fistula salivalis . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 37 | Comminutio manus sinistrae. . . . | — | — | — | 1 |
| 38 | Fistulae urinariae incompletae externae cum stricturis urethrae . . . . | — | — | 1 | — |
| 39 | Atheroma in mala dextra . . . | 1 | 1 | — | — |
| 40 | Blennorrhoea syphilit. cum Orchitide . | 1 | 1 | — | — |
| 41 | Luxatio spontanea femoris . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 42 | Steatoma in mala dextra . . . | 1 | 1 | — | — |
| 43 | Fistulae ani completae combinatae complicatae. . . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 44 | Carcinoma labii inferioris atque menti sessile. | — | — | 1 | — |
| 45 | id. id. id . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 46 | Furunculi . . . . . . | — | 1 | — | — |
| 47 | Ictus viperae colubri Beri irritati in digitum indicem . . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 48 | Ulcera fistuloso - sinuosa ad anum. . | 1 | — | 1 | — |
| 49 | Ranula . . . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 50 | Luxatio humeri sinistri. . . . | 1 | 1 | — | — |
| 51 | Lues syphil. cum ulcere primario et bubone ingvinali utrinque . . . . | — | 1 | — | — |
| 52 | Ulcus fungosum inveteratum cruris. . | 1 | — | 1 | — |
| 53 | Lues syphil. cum ulberib. primariis et bubone ingvin.; phimosisque acquisita. | 1 | 1 | — | — |
| | Summa | 38 | 38 | 13 | 2 |

| Nrus currens | Denominatio formae morbi. | operatus | sanatus | non sanatus | mortuus |
|---|---|---|---|---|---|
| | Translatum | 37 | 37 | 13 | 2 |
| 54 | Vulnus laceratum contusumque nasi. . | 1 | 1 | — | — |
| 55 | Ranula . . . . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 56 | Labium leporinum. . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 57 | Scrofulosis . . . . . . . | — | — | 1 | — |
| 58 | Calculi urethrales, phimosis acquisita et strictura orificii urethrae. . . | 1 | 1 | — | — |
| 59 | Ischuria spastico-inflammatoria . . | 1 | 1 | — | — |
| 60 | Atresia oris imperfecta. . . . . | 1 | — | 1 | — |
| 61 | Scrofulosis . . . . . . . | — | — | 1 | — |
| 62 | Hydrops saccatus cum anasarea . . | 1 | — | 1 | — |
| 63 | Vulnera lacerata et contusiones genu. | — | 1 | — | — |
| 64 | Osteosteatoma in labii superioris angulo dextro . . . . . . . | — | 1 | — | — |
| 65 | Lues venerea cum condylomatibus et rhagadibus ad anum. . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 66 | Hernia scrotalis incarcerata. . . | 1 | 1 | — | — |
| 67 | Hydrops ascites. . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 68 | Calculi urethrales . . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 69 | Calculus vesicalis. . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 70 | Inflammatio mammae dextrae phlegmonodes. | 1 | 1 | — | — |
| 71 | Lues venerea cum ulceribus syphil. et phimosi inflammatoria. . . . . | — | 1 | — | — |
| 72 | Calculus vesicalis. . . . . . | 1 | — | 1 | — |
| 73 | Inflammatio humeri. . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 74 | Meliceris in facie . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 75 | Hydrocele. . . . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 76 | Ictus viperae Colubri Beri in pollicem dextrum. . . . . . . . | — | 1 | — | — |
| 77 | Comminutio cruris dextri. . . . | 1 | 1 | — | — |
| 78 | Fistula ani completa simplex externa . | 1 | 1 | — | — |
| 79 | Hydrops ascites . . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 80 | Lues venerea cum bubonibus syphiliticis et hernia scrotalis . . . . | — | 1 | — | — |
| 81 | Polypi carnosi narium . . . . | 1 | 1 | — | — |
| | Summa totalis Anno Schol 18$\frac{26}{27}$ | 58 | 60 | 18 | 2 |

# Anno Schol. $18\frac{27}{28}$

| Nrus currens | Denominatio formae morbi. | operatus | sanatus | non sanatus | mortuus |
|---|---|---|---|---|---|
| 82 | Noma in bucca sinistra et dimidio labii utriusque | — | 1 | — | — |
| 83 | Calculus vesicalis | — | — | 1 | — |
| 84 | Caries claviculae atque psora syphilitica | 1 | — | 1 | — |
| 85 | Coxalgia in stadio secundo | 1 | — | 1 | — |
| 86 | Orchitis a blennorrhagia urethrali suppressa | — | 1 | — | — |
| 87 | Hydrocele | 1 | 1 | — | — |
| 88 | Pustula maligna in dorso manus | — | 1 | — | — |
| 89 | Fractura cranii cum depressione | 1 | 1 | — | — |
| 90 | Atresia vaginae imperfecta | 1 | 1 | — | — |
| 91 | Lues venerea cum bubone inguinali exulcerato | — | 1 | — | — |
| 92 | Coxalgia in stadio tertio | — | — | 1 | — |
| 93 | Vulnus laceratum buccae dextrae cum fractura processus alveolaris maxillae superioris | 1 | 1 | — | — |
| 94 | Calculus vesicalis | 1 | 1 | — | — |
| 95 | Fistula stercoracea cum ulceribus sinuosis | 1 | — | 1 | — |
| 96 | Hernia cruralis incarcerata | 1 | 1 | — | — |
| 97 | Tumor lymphaticus exulceratus | 1 | 1 | — | — |
| 98 | Fractura cranii cum depressione | 1 | — | — | 1 |
| 99 | Erysipelas in pede sinistro | — | 1 | — | — |
| 100 | Contusiones in facie cum commotione cerebri | 1 | 1 | — | — |
| 101 | Lues venerea cum ulceribus syphiliticis et condylomatibus | — | 1 | — | — |
| 102 | Fractura cranii cum depressione | — | 1 | — | — |
| 103 | Carcinoma labii inferioris | 1 | 1 | — | — |
| 104 | Steatoma in dorso | 1 | 1 | — | — |
| 105 | Orchitis a suppressa blennorrhagia urethrali | — | 1 | — | — |
| 106 | Fractura cranii cum depressione et partis ossis bregmatis dextri jactura | 1 | 1 | — | — |
| 107 | Hernia cruralis incarcerata | 1 | 1 | — | — |
| 108 | Sarcoma medullare metacarpi manus dextrae | 1 | 1 | — | — |
| 109 | Calculus vesicalis | 1 | 1 | — | — |
| 110 | Hernia cruralis incarcerata | 1 | — | — | 1 |
| 111 | Fractura claviculae sinistrae | 1 | 1 | — | — |
| 112 | Lues venerea cum bubonibus inguinalib. syphil. et phimosi | 1 | 1 | — | — |
| 113 | Carcinoma labii inferioris | 1 | 1 | — | — |
| | **Summa** | 22 | 25 | 5 | 2 |

| Nrus currens | Denominatio formae morbi. | operatus | sanatus | non sanatus | mortuus |
|---|---|---|---|---|---|
| | Translatum | 22 | 25 | 5 | 2 |
| 114 | Fistula urinaria incompleta externa cum stricturis urethrae . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 115 | Omarthrocace in stadio tertio . . | 1 | — | 1 | — |
| 116 | Luxatio humeri dextri . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 117 | Perniones . . . . . . . | — | 1 | — | — |
| 118 | Caries halucis pedis . . . . . | 1 | — | 1 | — |
| 119 | Ischuria spastica . . . . . . | — | 1 | — | — |
| 120 | Hydrops ascites . . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 121 | Polypi carnosi narium . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 122 | Aneurysma arteriae innominatae . . | 1 | — | 1 | — |
| 123 | Hernia scrotalis incarcerata . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 124 | Vulnus laceratum contusumque sclopetarium manus dextrae . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 125 | Excrescentia fungosa in vertice capitis | 1 | 1 | — | — |
| 126 | Concretio digitorum . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 127 | Fistula ani simplex completa . . | 1 | 1 | — | — |
| 128 | Caries ossium tarsi et desorganisatio partium solido - mollium cruris . . | 1 | 1 | — | — |
| 129 | Lues venerea cum bubone inguinali syphilitico | — | 1 | — | — |
| 130 | Ranula . . . . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 131 | Cancer occultus mammae dextrae . | 1 | 1 | — | — |
| 132 | Fractura ossis humeri inveterata . . | — | — | 1 | — |
| 133 | Luxatio humeri sinistri recens . . | 1 | 1 | — | — |
| 134 | Hydarthron genu dextri . . . . | 1 | — | 1 | — |
| 135 | Polypi carnosi faucium et narium . | 1 | — | 1 | — |
| 136 | Ranula . . . . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 137 | Hygroma patellare et pseudo- erysipelas genu . . . . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 138 | Caries ossium tarsi . . . . . | 1 | — | 1 | — |
| 139 | Orchitis cum blennorrhagia urethrali . . | 1 | 1 | — | — |
| 140 | Coxalgia in stadio secundo . . . | 1 | — | 1 | — |
| 141 | Hydrosarcocele . . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 142 | Cancer apertus mammae utriusque . | 1 | — | 1 | — |
| 143 | Coxalgia in stadio secundo . . . | 1 | — | 1 | — |
| 144 | Luxatio brachii dextri . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 145 | Abscessus mammae dextrae . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 146 | Meliceris ante aurem dextram . . | 1 | 1 | — | — |
| 147 | Abscessus frigidus metastaticus . . | 1 | — | 1 | — |
| 148 | Inflammatio mammae dextrae . . | — | 1 | — | — |
| | Summa | 52 | 49 | 16 | 2 |

| Nrus currens | Denominatio formae morbi. | operatus | sanatus | non sanatus | mortuus |
|---|---|---|---|---|---|
| | Translatum | 52 | 49 | 16 | 2 |
| 149 | Hernia scrotalis incarcerata . . . | 1 | 1 | — | — |
| 150 | Sarcoma medullare ossis metacarpi digiti indicis . . . . . . . | 1 | — | 1 | — |
| 151 | Lues venerea cum bubone inguinali syphilitico et paraphimosi . . . | 1 | 1 | — | — |
| 152 | Ecchymoma in textum cellulosum . | — | 1 | — | — |
| 153 | Ganglion in carpo manus sinistrae . | 1 | 1 | — | — |
| 154 | Steatoma in femore sinistro . . . | 1 | 1 | — | — |
| 155 | Carcinoma labii inferioris sessile . . | 1 | — | 1 | — |
| 156 | Ulcera sinuosa femoris dextri . . | 1 | — | 1 | — |
| 157 | Luxatio brachii dextri . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 158 | Teleangiektasia in nucha . . . | 1 | 1 | — | — |
| 159 | Ischuria spastica . . . . . | — | 1 | — | — |
| 160 | Ulcus inveteratum fungosum cum erythemate symptomatico . . . . | — | — | 1 | — |
| 161 | Vulnus sclopetarium pectoris . . | — | — | — | 1 |
| 162 | Prostatae inflammatio . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 163 | Contusio humeri sinistri . . | — | 1 | — | — |
| 164 | Ranula . . . . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 165 | Sarcoma medullare ossis metacarpi et ipsius digiti annularis dextri . . . | 1 | 1 | — | — |
| 166 | Abscessus profundus intra musculos surales | 1 | 1 | — | — |
| | Summa totalis Anno Schol. 18$\frac{27}{28}$ | 65 | 62 | 20 | 3 |

## Anno Schol. 18$\frac{28}{29}$

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| 167 | Ulcus inveteratum fungosum cum erythemate symptomatico . . . . . | 1 | — | 1 | — |
| 168 | Parotitis in suppurationem vergens . | 1 | 1 | — | — |
| 169 | Vulnus laceratum anguli oris . . | 1 | 1 | — | — |
| 170 | Lues venerea inveterata c. ulcerib. syphil. in femore sinistro et crure dextro, ac hydrops scroti . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 171 | Fistula urinaria incompleta externa cum stricturis urethrae . . . . | — | — | 1 | — |
| | Summa | 4 | 3 | 2 | — |

| Nrus currens | Denominatio formae morbi. | operatus | sanatus | non sanatus | mortuus |
|---|---|---|---|---|---|
| | Translatum | 4 | 3 | 2 | — |
| 172 | Ulcera sinuosa inveterata femoris . | 1 | — | 1 | — |
| 173 | Caries costarum tertiae et quartae in pectore | 1 | — | 1 | — |
| 174 | Carcinoma labii inferioris . . . | 1 | 1 | — | — |
| 175 | Exfoliatio ossis femoris amputati, et paresis manus dextrae . . . . | — | 1 | — | — |
| 176 | Hernia cruralis incarcerata . . . | 1 | 1 | — | — |
| 177 | Cancer mammae apertus, cum hypertrophia ejusdem . . . . . . | — | — | 1 | — |
| 178 | Lues venerea c. ulcere syphil., phimosi acquisita et blennorrhagia urethrali . | 1 | 1 | — | — |
| 179 | id. id. cum bubone inguinali syphilitico | — | 1 | — | — |
| 180 | id. id. id. id. id. id. ulceribus sinuosis complicato . . | 1 | 1 | — | — |
| 181 | Atheroma in collo . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 182 | Ranula . . . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 183 | Coxalgia in stadio secundo . . . | 1 | 1 | — | — |
| 184 | Fractura patellae inveterata transversa | 1 | — | 1 | — |
| 185 | Hydrocele . . . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 186 | Hydrosarcoma, incurvatio spinae dorsi, hydrops abdominis, et induratio hepatis atque glandularum mesaraicarum | — | — | 1 | — |
| 187 | Inflammatio genu rheumatica . . | — | 1 | — | — |
| 188 | Lues venerea c. ulcerib. sinuosis a bubonib. exulceratis, c. ulcerib. syphil. et condylomatibus in corona glandis . . | 1 | 1 | — | — |
| 189 | Hydrosarcocele lateris utriusque . . | 1 | 1 | — | — |
| 190 | Lues venerea cum nodo syphil. in cranii latere sinistro et epilepsia . . | — | 1 | — | — |
| 191 | Ulcera sinuosa atque caries carpi sinistri, nec non phthisis pulmonalis . . | 1 | — | 1 | — |
| 192 | Lues venerea c. ulcerib. atque tophis in cranio, gummate in sterno et nodis syphil. ad cubitum dextrum et genu sinistrum | — | 1 | — | — |
| 193 | Tumor albus genu . . . . . | 1 | — | — | 1 |
| 194 | Ganglion in dorso pedis . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 195 | Carcinoma ad angulum sinistrum nasi . | 1 | 1 | — | — |
| 196 | Ulcera sinuosa intra musculos surales cum febri gastrica . . . . . | 1 | — | 1 | — |
| | Summa | 22 | 20 | 9 | 1 |

| Nrus currens | Denominatio formae morbi. | operatus | sanatus | non sanatus | mortuus |
|---|---|---|---|---|---|
| | Translatum | 22 | 20 | 9 | 1 |
| 197 | Fistula ani simplex completa; . . . | 1 | 1 | — | — |
| 198 | Ulcus in dorso pedis idiopathicum sinuosum, cum febri gastrico-catarrhali subinflammatoria . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 199 | Scirrhus testiculi dextri . . . | 1 | 1 | — | — |
| 200 | Hydrocele . . . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 201 | Vulnus caesum contusumque palmae manus | 1 | 1 | — | — |
| 202 | Hydrosarcocele . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 203 | Fissura palati ossei . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 204 | Ulcus impurum carcinomatosum in cicatrice cutis dorsi manus exortum . . | 1 | — | 1 | — |
| 205 | Lues venerea cum ulceribus et bubonibus syphiliticis . . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 206 | Calculus vesicalis . . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 207 | Caries costarum tertiae, quartae et quintae in pectore . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 208 | Carcinoma labii inferioris . . . | 1 | 1 | — | — |
| 209 | Caries tibiae dextrae . . . . . | — | — | 1 | — |
| 210 | Hernia cruralis incarcerata cum gravi enteritide . . . . . . | 1 | — | — | 1 |
| 211 | Phimosis acquisita et condylomatum multitudo . . . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 212 | Luxatio brachii dextri . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 213 | Ischuria inflammatoria . . . . . | 1 | — | — | 1 |
| 214 | Fractura cranii . . . . . . | 1 | — | — | 1 |
| 215 | Ranula . . . . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 216 | Syphiloides derma principaliter afficiens | — | — | 1 | — |
| 217 | Lues venerea cum nodis syphil. in crure et antibrachio utrisque, cum doloribus osteocopis . . . . . . . | — | 1 | — | — |
| 218 | Hydrops ascites . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 219 | Carcinoma penis . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 220 | id. nasi . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 221 | id. labii inferioris . . . | 1 | 1 | — | — |
| 222 | Hernia cruralis incarcerata . . . | 1 | 1 | — | — |
| 223 | Steatoma in manu . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 224 | Vulnus capitis cum denudatione cranii . | 1 | 1 | | |
| 225 | Carcinoma penis per syphilidem modificatum | 1 | 1 | — | — |
| | Summa . | 48 | 43 | 12 | 4 |

| Nrus currens | Denominatio formae morbi. | operatus | sanatus | non sanatus | mortuus. |
|---|---|---|---|---|---|
| | Translatum | 48 | 43 | 12 | 4 |
| 226 | Hydrops ascites . . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 227 | Lues venerea cum condylomatibus e labiis vulvae majoribus pendulis gyganteis, botrytiformibus et nodis syphil. in tibiis et pube . . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 228 | Carcinoma labii inferioris . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 229 | id. id. id. . . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 230 | Steatoma duplicatum in abdominis latere sinistro . . . . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 231 | Verruca in carcinoma degenerata . | 1 | — | — | 1 |
| 232 | Orchitis cum blennorrhagia urethrali . | — | 1 | — | — |
| 233 | Calculus vesicalis . . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 234 | Coxalgia in stadio secundo . . . . | 1 | — | 1 | — |
| 235 | Lues venerea cum bubonibus syphiliticis. | — | 1 | — | — |
| 236 | Caries tibiae atque fibulae . . . | 1 | 1 | — | — |
| 237 | Lues venerea cum blenorrhagia vaginali et bubonibus syphiliticis . . . | — | 1 | — | — |
| 238 | Caries costarum quintae et sextae in dorso | 1 | — | 1 | — |
| 239 | Noma in angulo oris sinistro . . | — | 1 | — | — |
| 240 | Scirrhus malignus mammae sinistrae . | 1 | — | 1 | — |
| 241 | Exulceratio et induratio testis dextri atque epididymidis sinistrae . . . . | — | — | 1 | — |
| 242 | Vulnus caesum palmae manus . . | — | 1 | — | — |
| 243 | Steatoma ad canthum oculi dextrum . | 1 | 1 | — | — |
| 244 | Noma cum carie maxillae utriusque putredine gangraenosa buccae dextrae . | — | — | 1 | — |
| 245 | Noma cum carie maxillae inferioris . | — | — | 1 | — |
| 246 | Polypi carnosi narium . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 247 | Caries tibiae . . . . . . . | 1 | — | 1 | — |
| 248 | Fistulae ani completae combinatae cum intestini recti callositate . . . | — | — | 1 | — |
| 249 | Steatoma in bucca dextra . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 250 | Cancer mammae immobilis . . . | — | — | 1 | — |
| 251 | Induratio scirrhosa in cute antibrachii sinistri | 1 | 1 | — | — |
| 252 | Ulceratio in inguine sinistro e cicatrice lacerata . . . . . . . . | — | 1 | — | — |
| 253 | Orchitis cum blennorhoea urethrali . | 1 | 1 | — | — |
| | Summa totalis Anno Schol. $18\frac{28}{29}$ | 65 | 61 | 21 | 5 |

## Anno Schol. 18$\frac{29}{30}$

| Nrus currens | Denominatio formae morbi. | operatus | sanatus | non sanatus | mortuus |
|---|---|---|---|---|---|
| 254 | Excrescentia carcinomatosa in vulnere mammae amputatae | 1 | — | — | 1 |
| 255 | Struma aneurysmatica | 1 | — | — | 1 |
| 256 | Ulcera sinuosa et caries genu sinistri | 1 | 1 | — | — |
| 257 | Cancer mammae mobilis cum febri depascente | — | — | — | 1 |
| 258 | Ulcera herpetica in facie et brachiis | — | — | 1 | — |
| 259 | Paresis lateris dextri | 1 | — | 1 | — |
| 260 | Orchitis, phimosis inflam. cum gangraena, condylomata in pene et blennorrhoea urethralis | 1 | 1 | — | — |
| 261 | Scirrhus labii inferioris | 1 | 1 | — | — |
| 262 | Lues venerea cum bubone exulcerato | — | 1 | — | — |
| 263 | Carcinoma labii inferioris | 1 | 1 | — | — |
| 264 | id nasi | 1 | 1 | — | — |
| 265 | Caries tibiae atque fibulae cum jactura pedis anterioris per suppurationem delapsi | 1 | 1 | — | — |
| 266 | Cancer occultus mammae sinistrae | 1 | 1 | — | — |
| 267 | Carcinoma penis | 1 | 1 | — | — |
| 268 | Sphacelus praeputii atque glandis penis | 1 | 1 | — | — |
| 269 | Cancer mammae dextrae apertus et induratio glandulae subaxillaris ejusdem lateris | 1 | — | 1 | — |
| 270 | Scirrhus mammae dextrae | 1 | 1 | — | — |
| 271 | Fractura tibiae transversa | 1 | 1 | — | — |
| 272 | Carcinoma linguae | 1 | 1 | — | — |
| 273 | Caries phalangum primae et secundae digiti medii manus sinistrae | 1 | 1 | — | — |
| 274 | Vulnus colli et cubiti dextri cum hydrothorace | 1 | — | — | 1 |
| 275 | Fractura tibiae et fibulae pedis sinistri | 1 | 1 | — | — |
| 276 | Luxatio brachii dextri | 1 | 1 | — | — |
| 277 | Polypi carnosi narium | 1 | 1 | — | — |
| 278 | Exulceratio atque fistulae ani cum ossium pelveos carie | 1 | — | 1 | — |
| 279 | Lues venerea cum ulcerib. et bubonib. syphil. atque phimosi inflammatoria | — | 1 | — | — |
| 280 | Polypi carnosi narium | 1 | 1 | — | — |
| | Summa | 23 | 19 | 4 | 4 |

| Nrus currens | Denominatio formae morbi. | operatus | sanatus | non sanatus | mortuus |
|---|---|---|---|---|---|
| | Translatum | 23 | 19 | 4 | 4 |
| 281 | Abscessus intra musculos abdominales in hypochondrio dextro apertus . . | 1 | — | 1 | — |
| 282 | Phimosis congenita et hernia inguinalis | 1 | 1 | — | — |
| 283 | Ambustio late extensa in gradu tertio . | — | — | — | 1 |
| 284 | Ecchymosis in brachiis, dorso et pectore a fustigatione . . . . . | — | 1 | — | — |
| 285 | Hydrosarcocele testis dextri, phthisis sinistri et herpes vesicularis suppressus | 1 | 1 | — | — |
| 286 | Fractura ulnae atque radii . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 287 | Calculus vesicalis . . . . . | 1 | — | 1 | — |
| 288 | Abscessus metastaticus in femore a tinea capitis retropressa . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 289 | Stranguria cum phthisi vesicali et renali | — | — | — | 1 |
| 290 | Lues venerea cum ulcere syphil. blennorrhoea urethr., orchitide utrinque et phimosi congenita . . . . . | — | 1 | — | — |
| 291 | Polypi carnosi narium . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 292 | id id. id. . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 293 | Tumor albus genu cum febri gastrico-catarrhali in hecticam vergente . . | 1 | — | — | 1 |
| 294 | Pernio cum sphacelo omnium digitorum pedis dextri . . . . . . | — | 1 | — | — |
| 295 | Hernia scrotalis incarcerata . . . | 1 | 1 | — | — |
| 296 | Fractura ulnae et radii complicata cum vulnere . . . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 297 | Ganglion in carpo manus sinistrae . | 1 | 1 | — | — |
| 298 | Hydrops ascites . . . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 299 | Ambustio late extensa in gradu tertio . | — | — | — | 1 |
| 300 | Fissura cranii et commotio cerebri . | 1 | — | — | 1 |
| 301 | Luxatio brachii sinistri retrorsum . | 1 | 1 | — | — |
| 302 | Lues venerea cum ulcerib. et bubonib. syphil. atque infarctibus abdominalibus | 1 | 1 | — | — |
| 303 | Inflammatio phlegmonosa mammae utriusque | — | 1 | — | — |
| 304 | Hernia scrotalis incarcerata . . . . | 1 | 1 | — | — |
| 305 | Hydrosarcocele utrinque et abscessus frigidus in inguine dextro . . . | 1 | — | 1 | — |
| 306 | Sarcoma medullare exulceratum . . | 1 | 1 | — | — |
| 307 | Caries ossium metatarsi et tarsi . . . | 1 | — | 1 | — |
| 308 | Abscessus infra aponeurosin palmarem . | 1 | 1 | — | — |
| | Summa | 44 | 38 | 8 | 9 |

| Nrus currens | Denominatio formae morbi. | operatus | sanatus | non sanatus | mortuus |
|---|---|---|---|---|---|
| | Translatum | 44 | 38 | 8 | 9 |
| 309 | Blennorrhoea urethr. c. phimosi acquitita, orchitis testis sinistri sympathico-idiopathica et hydrocele lateris dextri incipiens | 1 | 1 | — | — |
| 310 | Scrofulosis | — | — | 1 | — |
| 311 | Vulnus colli transversum | 1 | 1 | — | — |
| 312 | Fissura veli penduli palati mollis | 1 | — | 1 | — |
| 313 | Inflammatio genu | — | 1 | — | — |
| 314 | Luxatio humeri sinistri | 1 | 1 | — | — |
| 315 | Phimosis acquisita cum condylomatibus in glande | 1 | 1 | — | — |
| 316 | Comminutio brachii sinistri | 1 | 1 | — | — |
| 317 | Ulceratio scrofuloso-carcinomatosa et caries ossium cavi narium | — | — | 1 | — |
| 318 | Syphilis inveterata, condylomata in pene, blennorrhoea chronica Balani, et paraphimosis cum praeputii oedemate | 1 | 1 | — | — |
| 319 | Excrescentia carcinomatosa in facie interna femoris dextri | — | — | 1 | — |
| 320 | Concretio digiti secundi et tertii pedis sinistri | 1 | 1 | — | — |
| 321 | Fistula urinaria et stricturae | 1 | — | 1 | — |
| 322 | Sarcoma testiculi dextri | 1 | 1 | — | — |
| 323 | Ulcera herpetica rodentia | — | — | 1 | — |
| 324 | Carcinoma labii inferioris | 1 | 1 | — | — |
| 325 | Calculus vesicalis | 1 | 1 | — | — |
| 326 | Ulcus fungosum in tibia dextra | — | — | 1 | — |
| 327 | Naevus maternus in carcinoma degeneratus | 1 | 1 | — | — |
| 528 | Haematuria | — | — | 1 | — |
| 329 | Bubones exulcerati sinuosi symptomatici | 1 | 1 | — | — |
| 330 | Carcer mammae dextrae apertus | 1 | 1 | — | — |
| 331 | Sarcoma medullare haematódes carcinomatosum | 1 | 1 | — | — |
| 332 | Polypi carnosi auris sinistrae | 1 | — | 1 | — |
| 333 | Atheroma in mala dextra | 1 | 1 | — | — |
| 334 | Lues venerea c. ulcerib. et bubonib. syphil., blennorrhoea urethrali et orchitide | 1 | 1 | — | — |
| 335 | Carcinoma labii inferioris | 1 | 1 | — | — |
| 336 | id. id. id. | 1 | 1 | — | — |
| | Summa | 65 | 57 | 17 | 9 |

| Nrus currens | Denominatio formae morbi. | operatus | sanatus | non sanatus | mortuus |
|---|---|---|---|---|---|
| | Translatum | 65 | 57 | 17 | 9 |
| 337 | Abscessus profundi in pede extremo | 1 | 1 | — | — |
| 338 | Lipoma petiolatum ad nates sinistras | 1 | 1 | — | — |
| 339 | Caries genu sinistri | 1 | 1 | — | — |
| 340 | Cancer mammae siniscrae apertus | 1 | 1 | — | — |
| 341 | Caries ossium tarsi | — | — | 1 | — |
| 342 | Carcinoma labii inferioris | 1 | 1 | — | — |
| 343 | Degeneratio partium solido-mollium antibrachii et manus, in specie autem carpi, tam solido-mollium quam solido-durarum | 1 | 1 | — | — |
| 344 | Hernia scrotalis incarcerata | 1 | 1 | — | — |
| 345 | Carcinoma labii inferioris | 1 | 1 | — | — |
| 346 | Fractura olecranon cubiti dextri | 1 | 1 | — | — |
| 347 | Labium leporinum | 1 | 1 | — | — |
| 348 | Abscessus in calce et halluce pedis dextri | — | 1 | — | — |
| 349 | Labium leporinum | 1 | 1 | — | — |
| 350 | Vulnus contusum capitis | — | 1 | — | — |
| 351 | Carcinoma in humero sinistro | 1 | 1 | — | — |
| 352 | Sarcoma medullare in carcinoma degeneratum | 1 | 1 | — | — |
| 353 | Caries genu sinisti | 1 | 1 | — | — |
| 254 | Polypi carnosi narium | 1 | 1 | — | — |
| 355 | Hydrosarcocele | 1 | 1 | — | — |
| 356 | Blennorrhoea urethralis cum orchitide utrinque | 1 | 1 | — | — |
| 357 | Carcinoma labii inferioris | 1 | 1 | — | — |
| 358 | id. id. id. | 1 | 1 | — | — |
| 359 | Lues venerea cum phimosi acquisita | 1 | 1 | — | — |
| 360 | Inflammatio phlegmonosa antibrachii | 1 | 1 | — | — |
| 361 | Carcinoma in tubere frontali sinistro | 1 | 1 | — | — |
| 362 | Cancer occultus mammae sinistrae | 1 | — | 1 | — |
| | **Summa totalis Anno Schol. $18\frac{29}{30}$** | 88 | 81 | 19 | 9 |

Summa totalis aegrorum ab Anno $18\frac{26}{27}$ usque $18\frac{29}{30}$ tractatorum 362

Annis itaque Schol. $18\frac{26}{27}$, $18\frac{27}{28}$, $18\frac{28}{29}$, et $18\frac{29}{30}$ fuit

- Summa operat., totalis 278
- id. sanatorum, id. 265
- id. non sanatorum, id. 78
- id. mortuorum, id. 19

Sequitur Conspectus Operationum chirurgicarum ab anno $18\frac{26}{27}$ usque $18\frac{29}{30}$ in Clinico Chirurgico-practico Universitatis institutarum, in quo morbi, ob quos aegris nostris operabamur, non nominatim, sed numerice exponuntur. Quivis numerus designat numerum currentem praecedentis tabellaris conspectus, sub quo forma morbi exposita habetur.

## Operationes,

| quae in diversis corporis partibus institutae sunt. | In individ. Nro. |
|---|---|
| Scarificatio: 47. 62. 124. 151. 170. 249. 268. . | 7 |
| Applicatio hirudinum: 10. 40. 59. 70. 73. 89. 106. 139. 162. 213. 234. 249. 253. 254. 309. 334. 346. 356. 360. . . . . . . | 19 |
| Phlebotomia: 54. 89. 93. 98. 100. 122. 203. . | 7 |
| Operatio ligaturae arteriarum laesarum (instituta in arteria radiali Nro. 201. . . . . | 1 |
| Ligatura arteriarum venarumque sub operatione transcissarum: 3. 7. 8. 28. 31. 32. 34. 37. 39. 45. 64. 72. 75. 77. 87. 89. 94. 98. 102. 103. 104. 106. 108. 110. 113. 115. 124. 128. 131. 138. 150. 154. 156. 165. 172. 176. 181. 185. 189. 191. 196. 199. 200. 201. 202. 208. 219. 220. 221. 222. 223. 225. 227. 228. 229. 230. 231. 236. 238. 240. 243. 249. 256. 263. 265. 266. 267. 269. 272. 273. 285. 306. 307. 316. 320. 322. 324. 330. 335. 336. 339. 340. 343. 345. 352. 253. 355. 357. 362. . . | 89 |
| Sutura vulnerum: 33. 45. 54. 169. 261. 274. 311. 342. 357. 358. . . . . . . . | 10 |
| Dilatatio vulnerum cruenta: 89. 98. 106. 169. 214. 300. . . . . . . . . . . | 6 |
| id. fistularum id. 14. 17. 19. 20. 26. 27. 28. 34. 48. 77. 84. 89. 95. 96. 114. 115. 118. 128. 138. 142. 147. 156. 166. 172. 173. 180. | |

| | In individ. Nro. |
|---|---|
| 188. 191. 196. 198. 205. 207. 219. 224. 236. 238. 247. 256. 265. 278. 281. 288. 302. 305. 307. 308. 315. 329. 337. 338. 339. 353. . . | 52 |
| Oncotomia: 14. 20. 27. 114. 145. 168. 337. . | 7 |
| Operatio tumorum cysticorum et exstirpatio Scirrhorum, Carcinomatum, Sarcomatum, Excrescentiarum etc. 8. 12. 32. 39. 42. 53. 64. 65. 74. 104. 125. 146. 150. 154. 158. 181. 195. 211. 223. 227. 230. 231. 249. 251. 254. 260. 261. 270. 315. 318. 327. 331. 333. 338. 351. 352. . . . . . . . . . | 36 |
| Operatio ad exstirpandum Ganglion: 153. 194. 297. . . . . . . . . . | 3 |
| Applicatio cauterii actualis: 2. 52. 135. 140. 143. 183. 184. 193. 259. . . . . . . . | 9 |
| id. id. potentialis: 4. 15. 20. 35. 92. 155. 220. 254. 361. . . . . . | 9 |
| Operatio ad ponendum fonticulum: 167. 183. 264. | 3 |
| id. id. id. setaceum: 41. 255. . . | 2 |
| Applicatio Vesicantium: 11. 17. 41. 85. 293. . . | 5 |
| Operatio ad polypos exstirpandos: 81. 121. 246. 277. 280. 291. 292. 332. 354. . . . . | 9 |
| Acupunctura: 85. . . . . . . . . | 1 |

## Operationes,

### quae in capite institutae sunt.

| | |
|---|---|
| Trepanatio cranii: 89. 98. 106. 214. . . . | 4 |
| Elevatio fragmenti ossis cranii depressi: 106. . | 1 |
| Operatio fistulae salivalis ductus: 36. . . | 1 |
| id. ad labium leporinum: 56. 347. 349. . | 3 |
| id. id. atresiam oris: 60. . . . . . | 1 |
| Exstirpatio scirrhi, carcinomatis variorumque tumorum in labiis: 3. 6. 7. 8. 45. 64. 103. 113. 174. 208. 221. 228. 229. 263. 324. 335. 336. 342. 345. 357. 358. . . . . . . . | 21 |
| Operatio sic dictae Ranulae: 49. 55. 130. 136. 164. 182. 215. . . . . . . . . . | 7 |
| Exstirpatio linguae partis: 272. . . . . | 1 |
| Uranorrhaphia: 312. . . . . . . | 1 |

## Operationes,

### quae in trunco institutae sunt.

| | In individ. Nro. |
|---|---|
| Exstirpatio glandulae sub axillaris: 269. . . | 1 |
| id. mammae: 131. 240. 266. 269. 270. 330. 340. 362. . . . . . . . | 8 |
| Paracentesis abdominis: 67. 79. 120. 218. 226. 298. | 6 |
| Repositio herniarum s. Taxis: 66. 107. 123. 149. 295. 304. 344. . . . . . . . | 7 |
| Herniotomia: 96. 110. 176. 210. 222. . . | 5 |
| Paracentesis vesicae urinariae: 213. . . . | 1 |
| Operatio ad phimosim: 179. 211. 260. 282. . | 4 |
| Circumcisio praeputii: 112. 359. . . . | 2 |
| Amputatio penis: 219. 225. 267. . . . | 3 |
| Operatio ad hydrocele: 5. 31. 75. 87. 185. 200. | 6 |
| Exstirpatio testiculi: 141. 199. 285. 322. 355. . | 5 |
| Castratio: 189. 202. . . . . . . . | 2 |
| Catheterismus: 4. 13. 25. 38. 58. 68. 69. 72. 83. 94. 109. 114. 171. 206. 213. 287. 321. 325. 328. . . . . . . . . . | 19 |
| Hypocysteotomia: 25. 69. 72. 94. 109. 206. 325. | 7 |
| Urethrotomia: 58. 68. 233. . . . . . | 3 |
| Operatio ad atresiam vaginae: 90. . . . | 1 |
| id. id. fistulam ani: 43. 78. 127. 197. . | 4 |

## Operationes,

### quae in extremitatibus institutae sunt.

| | |
|---|---|
| Amputatio femoris: 77. 128. 236. 256. 339. 353. | 6 |
| id. cruris: 138. 265. 307. . . . | 3 |
| id. brachii: 316. 343. . . . . . | 2 |
| Exarticulatio manus: 108. 165. . . . . | 2 |
| id. digitorum manus: 273. 306. . . | 2 |
| Sectio digitorum concretorum: 126. 320. . . | 2 |
| Operatio ad hygroma: 137. . . . . . . | 1 |
| id. id. genu hydropem: 134. . . . . | 1 |
| Membrorum luxatorum repositio: 50. 133. 144. 157. 212. 276. 301. . . . . . . . | 7 |
| Fracturae repositio et deligatio: 23. 271. 275. 286. 296. 346. . . . . . . . | 6 |

## Dissertationem inauguralem Chirurgico-medicam scribenti sequentia Observata Clinica adumbrare placuit.

## A m b u s t i o.

Ambustio late extensa in gradu tertio duo individua nostra orco tradidit. — Femina mediae aetatis, elapsa anni 1830-mi hieme rigidissima, corpus adversus frigoris intensitatem munire volens, vas prunis candentibus repletum femoribus incaute interponendo vestimenta sibi inflammat, inter currendum post aquam furor flammae rapidissime in tantum augetur, ut per adcurrentes vicinos exstincta, femorum totam internam, anticam et posticam faciem, nates, mammas et manus combustas exhiberet; — cutis in escharam adustam conversa spatio duarum hebdomadarum suppuratione soluta tota decessit et femora integumentorum communium maxima parte orbata terrificam morbi et hominis patientis faciem praesetulerunt; motus omnis aeque ac decubitus summe dolorificus. Tanta et tam late extensa laesio partis organismi, organon tactus constituentis, plurimis vasis et nervis nobilitatae, summe sensibilis, functionibus multifariis perficiendis praepositae, nexum intimum cum quibusque nobilissimis humani corporis organis foventis, — suppuratio praeterea profusa, doloris acerbi continua actio, vigiliae protractae et febris depascens omnes nostros conatus aegrae salvandae per dies 32-as sedulo impensos, irritos reddere debebant.

Alterum individuum vir fuit 22-or. annorum, vini cremator, qui alcohole flagrante perfusus totam faciem, brachia et manus, dorsum et pedes extremos sibi combussit, quae partes omnes, summe dolentes, vesiculis sero repletis obsitae, illico *farina secalina* ad formandam desuper crustam tectoriam inspersae sunt. — Tam vehemens vero fuit laesionis per ambustionem in hoc viro actio, ut intra paucas dies in febrim nervosam incide-

rit, quae cursu rapido iam nona morbi die vitam exhausit.

In utroque casu inflammatio partium affectarum gravis exorta, quae universum systema vasorum cum organis cholopoëticis in consensum trahens febrim validam excitavit biliosae indolis et digestionem cum nutritione perturbavit. — Partes adustas in utroque casu *gossypio* involvendo contra aeris inimicam actionem munire conabamur; suppuratione dein succedente unguenta plumbata consueta in tanta extensione partibus cute nudatis apponere pertimescentes, ex omnibus usu consuetis unguentis lenientibus sequentia duo plurimum conduxisse experti sumus. Rp. *Axungiae recentis insulsae libram unam, Cerae albae Uncias sex, Aceti Lithargyri Unciam unam; m. f. l. a. Ungu.* — Rp. *Sebi ovilis recent. libram unam et semis, Olei amygd. rec. libram semis, Flor. Zinci Drachm. unam; m. f. l. a. Ungu.* — Unguenta haec, caloris corporei et puris actioni exposita, rancorem et cum illo irritantem indolem ceteris paribus tardius contraxere; unde rarior necessitas involucra cum lenientibus unguentis renovandi aegris optata fuit, cum administratio haec iis summe dolorifica esset; — ultra tres horas tamen nunquam differi potuit, quod pus larga quantitate in tota superficie ambusta secretum per aestum febrilem acre et foetidissimum redderetur. — Curatio interna anodynis et per febris indolem indicatis remediis perficiebatur.

## Ictus Viperae Colubri Beri,

in uno individuo venenatus fuit. Femina aetatis mediae, torosa, colubrum in silvula Pestana inventum ac superstitionis causa domum delatum sinu pectoris excipit, hinc proserpere volentem iterum iterumque retrudendo irritat, et ab illo mordetur. E digiti indicis sinistri phalange extrema laesa haemorrhagia et aliquot minuta post dolor pungens morsum insequitur. Dolor per momenta auctus aegram inquietam reddit et in summam anxietatem coniicit; circa meridiem in Clinicum inter

terribiles eiulatus et insanos clamores allata exhibet anxietatem praecordiorum inexplicabilem et respirationis difficultatem, ita ut fuerit haec brevis, abrupta, saepius per momenta aliquot interrupta; — porro sensum peculiaris constrictionis in pectore, maximum in corde, cuius motus tremulus palpatur. Adest peculiaris constringens sensatio iuxta spinam dorsi, colli partem anticam, ad claviculas et axillas; — aspectus tristis, truculentus, singularis, tremor labiorum, horumque ad angulos oris diductio, supercilia corrugata, sensationem doloris exprimens facies, cuius rubor nec non is totius reliqui corporis trementis intensus est, pulsus parvus spastice contractus, intermittens. Brachium sinistrum usque ad axillas multum tumens et erysipelaceo rubore suffusum; in phalange extrema digiti indicis vero vulnuscula morsa quinque, duo inferiora tribus superioribus opposita, puncta atra referentia; totus digitus cum manu et antibrachio lividus, livore in digito proxime ad vulnera intensissimo, fere violaceo, et inde versus cubitum semper pallidiore; digitus index et manus adeo tumentes, cutisque harum partium adeo tensa, ut ruptura pertimescenda esset; tumor brachii elasticus; iuxta decursum vasorum lymphaticorum striae laete rubentes. — Experientia edocti virus Colubri Beri nostratis vix alicui lethale fuisse, nisi fors per neglectam tympanitidem (quae in omni ictus serpentis venenati casu evolvitur apud nos, cum spasmis, reactionem organismi validam in virus assumtum subigendum atque assimilandum prodentibus) — et perpenso eo, quod virus serpentum verno tempore minus elaboratum sit, etsi vipera ira flagrans aegram momorderit et toxico suo symptomata gravia causaverit, tamen non omnem spem vitam aegrae servandi deponere poteramus. *Apex digiti* inflammati transitum in gangraenam minitans *aliquot cultri ictibus scarificatur* et *fomentationes* desuper adhibentur *e Spiritu Cornu Cervi aqua diluto*, frequenter renovatae. Ad spasmos sedandos omni altera hora *oleum olivarum calidum* universi corporis cuti *infricatur*, sequendo methodum in Italia contra scorpionum puncturam et viperae morsum passim adhiberi solitam. Interne vero ad spasmos imminuendos et pneumatoseos processum inhibendum, delendumque *Ammo-*

*niae liquidae purae gutta una omni media hora in cochleari aquae purae recentis* propinatur. Hora pomeridiana quarta *idem* remedium *in decocto saturato Rad. Polygalae Senegae*, quod Africanis in usu est, intoxicata aegra sumere incipit. Vesperi ad dicta symptomata accedit adhuc febris, dolor punctorius lateris dextri pectoris cum cephalaea et colica, faciei, colli, thoracis et abdominis intumescentia emphysematosa; — circa nonam noctis palpitatio cordis augetur, pulsus multum intermittit, anxietas praecordialis summum assequitur gradum, delirium adest, spasmi clonici universum corpus occupantes, qui tamen corpus et membra non convellunt, sed in quovis musculo motibus tremulis, undulatoriis, vermiformibus se manifestant, fortissimis in extremitatum superiorum, colli et faciei musculis. Adsunt borborygmi a flatibus reclusis et molimina ructus, qui tamen usque fauces delati cum sono relabuntur; — circa noctis undecimam, mox post infrictionem cum oleo calido spasmi remittunt, ructus et flatus libere cum levamine continuo secedunt, anxietas remittit, aegra in somnum paucarum horarum incidit, expergefacta dolorem in regione frontali accusat et nauseam; vomituritione per horas duas vexata septima matutina tandem vomitu correpta eiicit bilem; dolent hypochondrium dextrum et regio epigastrica, et attactum non ferunt. Intumescentia pneumatosa sub allatis evacuationibus et spasmorum remissione per noctem dissipata, cutis universi corporis in rugas contrahitur, nunc colore flavicante perfusa; ita etiam in manu demorsa livor et brachii rubor antea intensi nunc pallidiores sunt; dolores autem remittunt. Indicationi, quae bilem evacuare poscit, *pulverem radicis Ipecacuanhae* aliquot dosibus exhibendo, obtemperamus, quo remedio (nonmodo bilem per aliquot vices) evacuari, symptomataque affectionis gastricae fugari, sed et spasmos solvi vidimus. — Febris tamen perdurat cum pectoris et colli constrictione et extremitatis affectae dolore intenso, et ideo ad therapiam hesternam redeundum erat, aliquantum tamen restrictam; sic loco *Ammoniae liquidae purae decocto radicis Polygalae Senegae additur spiritus Cornu Cervi simplex*, oleum vero calidum omni tertia hora corpori infricatur et *digito* scarificato *unguentum irritans e Bal-*

*samo Arcei cum pulvere Cantharidum apponitur.* Post duodecimam horam omnia affectionis gastricae symptomata redeunt, absumtum iusculum calidum vomitu mox reiicitur; subsequente dein multae bilis mucosae cum flatibus copiosis evacuatione et sudore critico per corpus universum aequabiliter diffuso, somnum plurium horarum capessit aegra, e quo circa noctem excitata se melius valere sentit, symptomata morbosa omnia multum remiserunt, et ubi noctem totam in pacato somno exegisset mane expergefit et vultu hilari se toto corpore excepto digito dolente, bene valere praedicat, cibumque petit, et revera sub sudore nocturno largo tota extremitas affecta detumuit, colorque cutis normalis redditus. Rerum adiunctis ita poscentibus omnia medicamina interna seponuntur, aegra per biduum observata nihil morbosi exhibet, tertia tandem reconvalescentiae die balneo repurgata sana dimittitur.

## Fractura Cranii.

E sex aegris cum fractura cranii, tres sanati, reliqui mortui sunt.

Faber ferrarius Austriacus, 22-or annorum, vir robustus post compotationem cum sodalibus 6-a Nov. noctu domum ire volens in plateam egressus ab uno horum fusti saepius ad caput percutitur; ad hos ictus amissa conscientia collabitur, in tabernam vinariam deportatur, vulnus in pariete cranii multum sanguinem fundens vino eluitur, et conscientia sui mox redit; haemorrhagia post multas lotiones cum aqua frigida tandem ad boleti agarici applicationem et strictiorem ligaturam substitit. Vulneratus, praeter dolorem in vulnere nihil sentiens, domum petit, somno refectus sequenti die 7-a Nov. consuetos ferrarios labores sine ullo incommodo tota die perficit, et post iterum in bono somno transactam noctem 8-a Nov. labori se accingit, sed iam ad primum laboris tentamen vertiginem, mentis et corporis stuporem persentit; cibi appetentia nulla, alvus laxa, febris nulla; titubando ad lectum pervenit. Die 9-a Nov. in Nosoco-

mium civicum susceptus antiphlogistice tractatur; *fomenta glacialia capiti apponuntur*, et ad horum usum symptomata morbosa disparent. Nov. 19-a *vulneris* contusi *dilatatio* fine fragmenta multum mobilia amovendi suscipitur et fomenta continuantur. Nov. 20-a in Clinicum nostrum susceptus exhibet vulnus in dextro cranii latere parum dolens, in cuius medio os parietale nudatum, depressum, fractum conspicitur; inferiora versus, ubi fragmenta soluta amota fuerunt, foramen conspicitur, e quo liquidum ,in superficie durae matris secretum, tenue, ichorem redolens profluit; in foramine ipso vero fragmenta et spicula ossea, cerebri velamentis infixa, visuntur. Plumaceolo, cui *Balsamus Indicus niger* superinductus fuit, dura mater, reliquum vero vulnus *linteo in aquam immerso* tegitur, *fomenta Schmukeri* desuper ponuntur, ac *vena* ad praevertendam menyngum et ipsius cerebri vehementem inflammationem, ad *sanguinis uncias octo excipiendas* prophylactico scopo *secatur*. Sequentibus diebus, encephalitidis, compressionis commotionisve cerebri symptoma nullum, puris vero intra cranium secretio largior. Cura antiphlogistica adornatur, *Nitrum in Emuls. amygd.* — Nov. 22-a vulnus pallidum flaccidum est, fragmenta aliquot mobilia reddita caute excipiuntur, et sequenti die 23-a Nov. sub scrupulosa investigatione fragmentum tabulae vitreae maius, margine suo scindente durae matri incuneatum sub osse cranii delitescere detegimus; hoc ne irritando noceat caute amovendum erat; *Trepano* igitur *bis cranium perforari debuit*, quo facto multa adhuc tabulae vitreae fragmenta durae menyngi adhaerentia, sanguine coagulato obducta inveniuntur, quibus cauta manu amotis, prior therapia externa et interna per triduum adhuc continuatur. Intra cranium molestiae nullae, sed in vulnere cutaneo trepanationis causa facto die iam 23-a Nov. illico post operationem exortus urens dolor continuo augetur et per affectum totum latus extenditur, Nov. 25-a in lacerantem convertitur; vulnus flaccesit. Nov. 26-a dolor continuat, febris nulla, sed vires multum labefactatae; tussis a refrigerio per fomenta adducto, item faucium, tonsillarum inflammatio catarrhalis; glandulae salivales omnes ut et tota regio submaxillaris et lateralis colli tumentes. Fomenta Schmuckeri seponuntur et

methodus antiphlogistica cum leniter stimulanti-roborante permutatur. (Decocto-Infusum Corticis Peruviani et Lichenis Islandici cum Camphora.) — Die 29-a, ubi caloris sicci actio inflammationem in glandulis salivalibus infregisset et per largam epistaxin noctu in capitis vulnere dolores mitigati fuissent, saliva tanta quantitate excerni visa, ut ptyalismus largus adesset; — vulneris conditio emendata, vires infractae. Camphora seposita solo *Decocto infuso Corticis Peruviani cum Lichene Islandico* utitur aeger. Nov. 30. febris initio cum frigore, dein cum calore intensis, dolor parotidis, frontis, et temporum magnus, vulneris habitus pallidus, flaccidus. *Decocto Camphora redditur* et *Unguentum de Styrace cum aqua vulneraria vinosa* pro deligatione, contra parotitidem vero *flores Sambuci cum farina fabarum* fomentorum siccorum forma inserviunt. Dec. 2-a iterum epistaxis noctu aegro dolorum levamen adfert, usque 3-am Dec. tandem parotitis et salivatio disparent. Dura mater per spicula fragmentorum cranii laesa superficialiter inflammata fuit et primis statim post trepanationem diebus ad Balsami Indici usum suppuratione iusta et granulatione laudabili se commendans nunc luxuriare, ac suppuratio vulneris profusa reddi incipit. *Decocto saturato Corticis Ulmi campestris cum Camphora et Acido pyrolignoso* obligatio perficitur. Dec. 4-a in sequelam fustigando contusi cranii et ex hinc exortae vehementioris pericranii et galeae aponeuroticae inflammationis, non factae nefors topicae per scarificationem sanguinis evacuationis vel potius per multum debilitatas aegri vires, dictae partes sphacelosae redditae in vulnere ipso os parietale pericranio suo nudarunt, et sinum exulceratum in partibus vulneri vicinis provocarunt, intra pericranium et cranium ipsum deorsum versus ad pollicem fere unum et dimidium descendentem, qui extemplo dilatari debuit. Granulatio luxurians durae matris cranium egressa cum carne luxuriante pericranii vicini conglutinatum deprehenditur die 5-a Dec., eius separatio fieri debuit, et *interposito linteo carpto a nova concretione impedienda erat*, ut secreto puri e cavo cranii effluxus liber semper procuretur. Dec. 8-a Inflammatio in partibus vicinis oborta et congestio sanguinis versus caput dolores per totum caput et nucham extensos pro-

vocant, decubitus impossibilis; seponitur *Camphora* in et externe, *pediluvium irritans* adhibetur;— haemorrhagia ex arteriis sub dilatatione vulneratis per congestionem nunc ampliatis saepius subsecuta, congestio successive remittit, sed post triduum novus iterum sinus in parte inflammata conspicuus fit. *Cortex Peruvianus* et *Lichen Islandicus* continuantur usque 17-am Dec.; sinum vero, qui non obstante diligenti et tenera tractatione auctus fuit, dilatamus, et haemorrhagiam arteriarum deligatione sistimus. Suppuratione iusta existente Dec. 23-a luxuriatio superest, quae ad *pulveris Corticis Peruviani cum Alumine usto usum* non cohibetur, tollitur vero *solutione Lapidis infernalis* per dies aliquot adhibita. Cum ultima dilatatione febris omnis cessaverat; photophobia vero et dolor nuchae praesentes ab exfoliationis processu repetebatur. *Cortex Peruvianus* aegro usque 10-am Jan. exhibetur ad vires per suppurationem et sanguinis deperditionem labefactatas reparandas. Dec. 28-a exfoliatio trepanati ossis in margine superiore inchoat, et 8-a Jan. tota tabula externa ossis nudati exfoliatione soluta aufertur, dolores omnes cum photophobia disparent, vulnus contrahitur, vires penes diaetam nutrientem restaurantur, aeger bene valens nullo medicamine utitur usque Jan. 25-am ubi psora, quam illi alter aeger in Nosocomio cum topho syphilitico carioso atque scabie decumbens, et quatuor aliis aegris simul communicavit, affectus, antipsoricis tractari debuit. A psora tandem liberatus, vulnere suppurante in cicatrisationem tendente aeger usque plenariam vulneris consanationem Nosocomio civico resignatus fuit. —

Observatu dignissima fuit exigua tantae laesionis cranii sub initium et sub toto decursu morbi reactio; commoti cerebri symptomatibus mox disparentibus aegri sanitas relativa adeo, ut consvetos labores per 12. horas perficeret; durae matris vero, cui tamquam potentia irritans spicula et fragmenta per dies 18 infixa haeserant, tam exigua eaque topica inflammatio, ut encephalitidis vel potius menyngitidis pauca nonnisi symptomata observarentur, licet primis diebus topice nihil actum fuerit; quod partim laudabili aegri constitutioni, partim vero notabili haemorrhagiae, partim denique curae adhibitae

adscribendum. Facta vero trepanatione et amotis fragmentis, encephali ipsius status semper laudabilis fuit; viribus tamen per haemorrhagiam, methodum antiphlogisticam, animi angorem multum deiectis et concurrentibus causis iam adductis suppuratio inter pericranium et cranium ipsum exorta molestissimam aegro cranii nudationem causavit; per sinuum dilatationem laciniae tegumentorum cranii plures exortae non amputatae sed intactae relictae sunt; hae laciniae, ubi tota nudata cranii tabula externa, miro exfoliationis opere soluta et amota, superficiem granulatione optatissima gaudentem exhibuisset, cum hac superficie in contactum debitum positae, spatio aliquot hebdomadarum perfecte concreverunt ita, ut pro cicatrisatione exspectatione longe minor plaga remanserit.

Sutor sodalis, Hungaro-Slavus, annorum 27, ob furtum carceri civico et quidem ob angustiam loci maleficos inter recluditur; horum unus cum illo in rixam coit et ligno, quod vestibus reconditum gesserat, Dec. 15-a caput Sutoris aliquot ictibus ita conquassat, ut hic corruens per quadrantem horae conscientia privatus humi iaceret, excitantibus resuscitatus, actorum non illico meminit, sanguinem e capitis vulnere et naribus manare tamen percipit; penes fomentorum frigidorum applicationem in carcere usque 18-am Dec. detinetur, dein ad Nosocomium civicum transfertur, ubi post factam debitam vulneris dilatationem et fracturae cranii nudationem fragmenta duo amoventur et fomenta frigida capiti apponuntur; — decima vero nona Clinico nostro resignatus aeger, corpore robusto instructus gerit in tubere ossis parietalis dextri ovale contusumque vulnus, in diametro longitudinali ultra duos pollices metiens, partes solido-molles vicinas in tota peripheria oedematose tumentes, cranium nudatum, fracturam radiatam depressam exhibens, cuius fracturae fragmenta duo tabulae externae absunt; porro fissuram penetrantem in cavum cranii cum fragmentis sibi invicem suppositis, pupillas dilatatas, paralyticas, capitis dolorem vehementem, stuporem, soporositatem; faciem oedematosam. In media fronte arcu supercilari uno pollice altius vulnus conspicitur contusum cutaneum longitu-

dinale duos pollices longum, lingva muco albicante leviter obducta, humida, tussis cum pectoris oppressione, saepius enim per vitam pleuritidem perpessus fuit; motus automatici manus dextrae sub somno versus vulnus directi, manus sinistra paralytica; pulsus durus, plenus, tardius et plura encephalitidis atque compressionis cerebri symptomata. *Trepanatio confestim peragi debuit*, fragmenta variae magnitudinis numero duodecim, que sibi invicem supposita fuerunt, vecte elevata et caute amota, atque *fomenta glacialia* toti capiti superposita sunt; haemorrhagia, incisionem fine trepanationis factam, larga subsecuta, sola *Emulsio amygdalina nitrata cum Extracto Hyoscyami* et *diaeta antiphlogistica* ordinatur. — Symptomata allata in eodem gradu per noctem perdurant, vehemens et molesta tussis dolorem pungentem pectoris causans, ut et dolor vulneris acutus et alter iam sinciput, iam occiput, iam denique faciem occupans gemere faciunt aegrum; sitis intensa cum lingva sicca, regio epigastrica tumens et sensibilis, alvi et urinae excretio nulla, pulsus frequens, durus, plenus. — Die 20-a Dec. morbi 5-a status idem; dura mater inflammata, tumens et cranio appressa, oedema imminutum photophobia insignis, haemorrhagia posthuma non immodica continuat; alvus pultacea; — *Emulsio sine Hyoscyamo* et *clysmata irritantia* cum *Sale amaro* et *Aceto vini*. — Noctu morbi augmentum observatur, dolor occipitis, nuchae, tardius totius capitis molestissimus, inquietudo, eiulatus cum sopore alternantes, aestus corporis, cutis sicca, photophobia, ardor et scintillatio oculorum, aurium susurrus, loquela difficilis, sitis et tussis adaucta et pectoris-dolore concomitata, respirium difficile; nausea, motus automatici manus dextrae, extremitas sinistra ultro paralytica, pulsus suppressus. Facta vulneris nova investigatione ad lumen candelae nova depressio cranii versus tempora directa, *tegumentis* cranii recondita detegitur, quibus *rescissis* bis fissum fragmentum obtutui se offert, quod *vecti tripedali Richteri* primum elevatum et dein remotum est. Sedes ad clysmata plures subsecutae abdomen et pectus alleviant; dolor capitis ad solum vulnus et frontem restringitur; sopor continuus, febris cum pulsu frequentiori, parvo, duro noctem ex-

plent. Dec. 21-a margo fracturae cranii parum asper deprehensus in tota sua superficie politus est; symptomata diei praeterlapsae perdurant. Ob magnam sanguinis deperditionem sola cura antiphlogistica topica et pharmaceutica in usum vocatur. Vesperi cum siti inexstinguibili symptomata cuncta augentur; *Clysmata irritantia* tria per noctem applicita cuncta symptomata mitigant; versus diluculum aeger sudat in facie, alvum et urinam inscius evacuat, soporosus est; tussis et sitis remittit, et magna acidi potus appetentia adest; pulsus ut 20-a fuit. Dec. 22-a plures sphacelosae particulae superficiales durae matris separabantur, et ad residuarum seperationem promovendam *Mucilago camphorata* adhibetur atque *Infusum Florum Arnicae cum pulvere Doveri*, ordinatur. Mox post deligationem febris valida cum frigoris sensu intenso per dimidiam horam durante se insinuat, quae dein calore et siti magna usque vespertinam deligationem excurrente, post haec vero iterum frigore notata, sicco tandem calore per integram noctem cum omnium ceterorum symptomatum augmento affligit aegrum; mane vero accedit dolor basin cranii occupans. — Dec. 23-a febris valida symptomatica suppuratoria cum encephalitidis omnibus symptomatibus coniuncta. — Seposita Arnica *Calomela* scopo purgante antiphlogistico et *Decoct. Hordei cum Oxymele simplici* ad sitim fallendam exhibetur; — post meridiem vomitus biliosus. Noctu alvus foeculenta initio, tardius liquida deponitur; sopor cum delirio et inquietudine alteruant. Dec. 24-a morbi 9-a vires notabiliter collapsae, pulsus debilis, parvus, frequentissimus, facies collapsa, colore lurido, photophobia, adspectus truculentus, stupor sensuum externorum, paralysis extremitatis sinistrae et dolores encephali atroces. Simplex aqua frigida *cum Dec. Rad Arnicae* permutatur quo *fomentationes fiunt*; *Moschus* exhibetur et *Dec. Arnicae.* Vesperi febris exacerbatur, dolor frontis et temporum augetur, aeger continuo gemitus edit, plorat, vomitus sub tussi convulsiva liquidi mucosi, spissi, inquietudo summa, sensus ponderis in capite et pectore, lingua arida, crusta brunea tecta, tremula; in vulnere dura mater livida, purea sanguine dissoluto rubente obducta, sequentibus vero 25-a et 26-a diebus morbus ad acme per-

veniens celeri passu in virium vitalium exhaustionem abiit plurimis symptomatibus notatam, ut fuerunt: facies hippocratica, adspectus oculorum languidus, vitreus, fixus, pupillae dilatatae et paralyticae, stupor omnium sensuum externorum, mens sui non compos, gemitus et oscitatio frequens, respiratio laboriosa, abdominalis, deglutitio difficilis, calor corporis mordax, pulsus debilis, parvus intermittens, vix perceptibilis, deiectio virium summa: ultima tandem die vesperi, halitus frigidus, facies et extremitates algidae, sudor frigidus, viscidus et cunctarum vitalium functionum paralysis morte scenam claudens. — Dec. 28-a institutae sectionis resultata fuerunt in cavo cranii: dura mater in magna extensione sphacelosa, infra hanc multum puris, quod ferme totius haemispherii dextri superficiem tegebat, atque iuxta processum falciformem usque ad corporis callosi superficiem in filtratum visebatur; parenchyma cerebri omnia posthuma inflammationis hic locum habentis signa gerens, ut et pluribus in locis sphacelosum; ita etiam cerebellum cum medulla oblongata inflammata,,, in cuius posterioris vagina seri sanguinolenti tres circiter Unciae inventae; nevrilema in dextro latere nervi vagi iuxta totum suum decursum, in sinistro latere vero illud plexus brachialis multum inflammatum. — In cavo pectoris pulmores utriusque lateris pleurae acretos et in saccis pleurae circa libram liquidi serosi, in pericardio ad uncias tres, in ventriculo cordis dextro parum sanguinis atri coagulati; ventriculus cordis sinister inanis; parenhyma organorum thoracis nihil morbosi obtulit. — In cavo abdominis: ceteris normalibus ventriculus contractus, parvus, superficiem internam inflammatam offerens.

Femina 34 annorum, Hungara, robusta, Dec. 30-a in taberna vinaria iocando unum e potatoribus in iram concitat, qui eidem poculum in quo cerevisia epocillari suevit, versus caput proiicit, temulenta reddita titubat, sed non corruit, sanguinem e capitis vulnere manare sentiens domum pergit atque eadem die adhuc in Nosocomium civicum suscipitur; ubi facta vulneris dilatatione iusta, *fragmentum vitri* et *aliud nudati cranii amoventur*, *fomenta frigida* apponuntur et ob symptomata

affectionis gastricae morbosa simul praesentia *solutio Salis amari* scopo antiphlogistico purgante exhibetur, sordibusque intestinalibus eductis excepta topica affectione nihil morbosi in aegra detegitur. Dec. 31-a nova vulneris dilatatio suscipitur et duo fragmenta ossea excipiuntur. Jan. 2-a in Nosocomium nostrum allata exhibet in bregmate sinistro vulnus flaccidum, pallidum, in cuius medio fractura conspicitur figurae ovalis; penetrans, cum substantiae osseae defectu, estque extensio fracturae tabulae vitreae multo maior illa tabulae bregmatis externae, nec deest tota quanta, sed posterius eius dimidium depressum posteriori fracturae cranii margini suppositum et infra illud quasi incuneatum haerens; femina est torosa, bene pasta; et licet nullum irritationis, pressionisve cerebri symptoma observaretur, ob fragmentum tamen suppressum et duram matrem irritans et ob constitutionem corporis ad inflammationes pronam consultum fuit *venam secando* menyngitidem aut encephalitidem praecavere *fomenta frigida glacialia* topice et *Decoctum Hordei cum Nitro et Oxymele simplici* adhibendo antiphlogisticam tractandi methodum amplecti. Jan. 3-a febris imflammatoria vesperi inchoat et 4-a augetur cum congestione sanguinis versus encephalon, calore cutis siccae intenso, anorexia, siti intensa, alvo obstipa; — *Calomelis grana quatuor* plures liquidas alvi depositiones producentia phlogosim cum cunctis allatis symptomatibus sufferunt. Jan. 6-a plura affectionis gastricae symptomata accusat aegra, dolorem in fronte, saporem oris et ructus amaros, appetitum prostratum, sensum pressionis in ventriculo, alvum tardam; quae *Salis amari solutione* aliquot alvi deiectiones provocante tolluntur. Toto corpore optime valenti aegrae die 7-a et 8-a Jan. *spiculae osseae* e vulnere excipiuntur, harum posterior arteriae menyngeae mediae, ut e sanguinis vibratione probabile fit, infixa, post sui amotionem largam haemorrhagiam pedisequam habuit, quae (animi deliquium brevi durans) adduxit et aegrae pallorem ac debilitatem comitem reliquit. Vulnus linteo carpto arctius explendo tandem sistebatur, sed debilitatem non parvam induxerat, ita, ut viribus aegrae et absorptioni sanguinis nefors intra cranium effusi opitulaturi *Dec. Arnicae flor. internum* et *Radic. externum usum* facere

cogeremur. Jan. 9-a vomitus subsequitur mucosus, *Dec. flor. Arnicae* seponitur, ut observatione aegrae edoceamur, num dictum symptoma medicinae vel cerebri irritationi adscribendum sit; medicina reposita vomitus non amplius redit; quare horum loco *Radix* decoquebatur et diebus 10-a, 11-a, 12-a et 13-a Jan., quibus sub qualibet deligatione parum sanguinis per thrombum transudaverat, continuabatur; decima quarta vero, ubi omnis sanguis coagulatus e vulnere palido secessisset et sanguinis intra cranium effusi nullum vestigium adesset, aegra praeterea bene valeret; a *Rad. Arnicae* interno et externo usu abstinemus et tabulam vitream incuneatam immobilem, nullum molestum symptoma producentem granulatione obduci videntes, ad hanc sollicitandam *Ungv. Digestiv. therebinthinatum* linteo carpto inductum applicamus. Sub ulteriori curae processu aliquoties accidit, ut aegra in esu errorem committeret, quod diaetae peccatum vulneris pallor, flacciditas et puris conditio illico prodiderunt; sordibus intestinalibus *Salis amari* in infuso calido *Hbae Trifolii fibrini* soluti in alvum actione evacuatis, sanitas relativa confestim rediit. Die 18-a Jan. separatio marginis fracturae inchoat. Jan. 22-a ad cohibendam in granulationis opere luxuriationem solutio saturata *Lapidis infernalis* cui plumaceola immerguntur, per dies aliquot adhibetur et Jan. 26-a margo osseus perfecte solutus aufertur, vulnus suppurans leniter adstringentibus usque Febr. 15-am obligatur; hac vero die aegra ad vulneris perfectam cicatrisationem et consolidationem obtinendam Nosocomio civico resignatur.

Sutorius tiro; annorum 15, Pestanus 10-a Januarii vesperi in dextro capitis latere per militem sauciatus animum linquens concidit, domum deportatur, et animi deliquio ultra horam durante per largam haemorrhagiam et fomenta frigida fugato, aegro sitienti *Emulsio* amygdalina ordinaria porrigitur, qui ardorem vehementem vulneris, dolorem lacerantem frontis, nauseam, vomituritionemque accusat, qua ultima continuo perdurante bino vomitu mucosobilioso relevatur, et obdormii aeger; post aliquot horarum somnum per dolores captis intensiores excitatur, et symptomata affectionis ga-

stricae intensiora accusat. Die 11-a Jan. in Nosocomium suscipitur et exhibet in dextro capitis latere vulnus diagonaliter caesum, laciniam oedematose tumentem duos et dimidium pollices longam ellypticam et ultra pollicem unum latam referens; orae vulneris aliquot lineis ab invicem distantes os parietale nudatum, fractum et depressum monstrant; fragmenta ossea fracturae margini supposita; arteriosi sanguinis e cavo cranii profluvium; adsunt dolores lacerantes in cranio, nausea et vomituritio, anorexia, sapor oris amarus, pressio in regione epigastrica, tremor artuum, debilitas et sensus ponderis in toto corpore, inprimis in brachiis, masticatio in latere affecto dolorifica. Pressionis vel irritationis cerebri nullum symptoma, et ideo penes *diaetam antiphlogisticam*, *clysmata irritantia* et *fomenta glacialia* sola *Emulsio nitrata* adhibetur. Postmeridiem vero nobis adferunt os cranii nudum, periosteo orbatum, formae ellypticae, duos pollices longum, unum et dimidium latum, quod in vicinia loci inventum fuit, ubi aeger in platea per militem vulneratus fuit; huic adhaeserunt capilli eiusdem cum capillitio aegri nostri coloris; quoad structuram et formam respondebat ossi parietali, duabus quippe tabulis intermedio diploë instructum, quarum interna minore area praedita ramificationis arteriae menyngeae mediae vestigia gerit. Defectus ossis in tumore oedematoso tactu percipi non potuit: lacinia firmiter adhaerente nec specillo detegi poterat, imo haemorrhagia, quae ad fomenta frigida iam substiterat, per investigationem novitus resuscitata ab ulteriori perscrutatione desistebamus, quae utique nunc plus curiositatis causa quam scopo therapeutico suscipiebatur. Factum enim mente sic concipi potuit; ictu vehementi et celerrimo per militem in furto prehensum vibratus gradius recte apice suo convexo diagonaliter caput ferire et sub ipso actu penetrationis in cranium rimas agere debuit, segmentoque osseo a cranio resecto sub retractione gladii militis fugam petentis, dentes fissurae gladii segmentum ipsum secum evulsisse probabile est, sub qua evulsione periosteum segmenti ossei ab hoc solutum laciniae ipsi adhaesit. — Noctu sub somno inquietus hora undecima bilem vitellinam vomitu reiicit et dolorem prementem in abdomine accu-

sat aeger. Die 12-a Jan. sub ordinatione matutina Investigatione legali ita poscente semi-ovali sectione lacinia tollitur et sanguine coagulato submoto patuit cranium, in cuius cavo dura mater illaesa et minime morbose affecta visebatur, detectumque memoratum segmentum fracturae penetranti perfecte respondere. Haemorrhagia ad sola fomenta substitit. Vulnus plumaceola madefacta tectum et fomenta gelida desuper applicita, medicina vero et diaeta antiphlogistica continuantur. Sequenti die 13-a Jan. fragmenta ossea mobilia numero tria caute submota sunt, et haemorrhagia larga subsecuta est ex arteria menyngea media per fragmenta lacerata, quae ad deligationem et fomenta frigida post mediam horam substitit; appetitus cibi bonus; nullum affectionis cerebri symptoma. Jan. vero 15-a, qua die suppurationis processus in vulnere cum febri inchoavit, noctu facta est sponte solutio thromborum sanguineorum, transcissos et non deligatos arteriarum occipitalis et temporalis profundae ramos obturantium, et sanguinis profluvium subsequitur, ad quod sistendum fomentis frigidis insufficientibus, *pressionem digitorum ope* per horas octo continuo adhibere diligimus, et haemorrhagia cessante fomenta gelida renovamus et deligationem ultimam per diem unam alteramve intactam relinquere nobis proponimus. Die hac et sequenti aeger praeter debilitatem et vertiginem capitis nihil accusat. Nitrum, quod alvi fluxum cum tenesmo causaverit, in Emulsione omittimus. Die 16-a Jan. noctu sub somno inquietus aeger delirat, mane expergefactus de oculorum dolore, et de kephalcaea conqueritur, vulnus aridum, calens est, in oculis strabismus observatur, adsunt symptomata irritationis cerebri, pulsus celer, parvus. Fragmenta depressa irritantia *Elevatorio tripedali Richteri* elata vulnus lividum *Unguento de styrace* deligatum, *fomenta ex infuso Specierum aromaticarum* tepidiuscula applicita. Post operationem irritationis et pressionis cerebri symptomata disparent, sed hac die sub decursu febris inflammatoriae validae tumor epicranii, faciei et colli inflammatorius a contusione sub operatione eveniente rapide evolvi incipit, omnia symptomata inflammationis galeae aponeuroticae prodens, qui spatio horarum quadraginta octo monstrosus evadit

ita, ut oculus per rimam palpebrarum erysipelaceo-oedematose tumentium vix videatur, masticatio impossibilis fiat; vertigo, dolor capitis et faucium contringens adsunt. *Calomel* scopo antiphlogistico purgante exhibetur, cuius actione alvus per noctem quinquies evacuata et die 18-a Jan. cum dolorum remissione inflammationis augmentum cessat, febris remittit, vulneris conditio bona evadit; ideo *Calomel* seponitur et *Decoctum Semin. Hordei cum Oxymele* aegro exhibetur, cuius medicinae antiphlogisticae usum facit aeger diebus quoque sequentibus 19-a et 20-a effectu optimo; sedes enim liquidae his diebus copiosae deponuntur cum febris notabili remissione, dolores omnes cessant, vulneris conditio optatissima, appetitus cibi bonus. Sed die 21-a vesperi iterum sub congestione versus caput maiori haemorrhagia ex arteriis occipitali et temporali subsequitur, ad quam sistendam fomenta frigida insufficientia, et fasciatio stellaris intollerabilis visa, denuo pressio digitorum ope per horas octodecim continuata necessaria evasit. Die 22-a in parte capitis sinistra, cervice et dorso exorta fuit inflammatio rheumatica a refrigerio per fomenta frigida ultimo adhibita provocato et tussis sicca, quae concussionem corporis producens haemorrhagiam facile suscitare potuisset, quare illico die 22-a Jan. penes *Decoctum Hordei* etiam *Spiritus Mindereri cum Extracto Lactucae sativae et Syrupo Diacodii in Decocto Radicis Salep* aegro exhibetur et hoc remedio atque caloris linteorum siccorum saepiissime calefactorum applicatione solerti inflammatio rheumatica spatio 24 horarum multum imminuta; *Decoctum Salep* nunc exmittitur et contra tussim *Extractum Lactucae sativae* die 22-a Jan. vesperi *in pulvere*, sequenti vero die 23-a Jan. *cum Decocto Salep* et *Succo liquiritiae sine spiritu Mindereri* porrectum. Tussi autem ad haec remittente aeger toto corpore bene valere incipit, a doloribus liber est, appetitu vegeto praeditus. Vulneris debite suppurantis granulatio laudabilis usque Januarii finem totam cranii fracturam explet. Hoc tempore exfoliatione marginis fracturae inchoante et usquae 20-am Februarii procedente penes aegri respective bonam valedutinem vulnus luxurians *Decoctis Corticum adstringentium*, et *Lapidis infernalis solutione* tractatur, exfoliatione vero fini-

ta Luxuriatio usque finem Mensis Februarii *Pulveribus adstringentibus* cohibetur et vulnus tandem sub sicco *linteo carpto* usque 10-am Martii perfecte consanatur residua adhuc maiori partis affectae sensibilitate, et saepius recurrente capitis vertigine.

Ultimos denique fracturae cranii duos casus, lethales et summa cerebri commotione ac sanguinis in basi cranii effusione notatos fuisse, significo.

## Contusiones et Urocystopyocystis cum Abscessu abdominali et femorali.

Auriga annorum 32, Pestiensis, corpore toroso valido robustus, staturae altioris, Nov. 16-a, dum dolium quinque urnarum vino plenum ab antice sustentans cum sociis in cellarium demitteret, ad gradus scalae inferiores dolium de manibus sociorum elapsum eundem in humum prosternit et super corpus eiusdem decurrendo inferiores trunci partes, hypogastria, ilia, inguina, pubem atque extremitates inferiores graviter contundit. Auxilium conveniens apprime adfertur methodo antiphlogistica strictiore, venesectione nempe, purgantibus antiphlogisticis et fomentis ac regimine diaetetico convenientibus, quibus gravissimae et acutissimae partium contusarum inflammationi occurritur, manent tamen remittente iam febri, quae per tantam laesionem suscitata fuerat, dolores in regionibus sanguine suffusis, contusis; abdominis et femorum tumor in dies durior, artuum inferiorum atque trunci immobilitas; sed aeger iam per triduum apyretos est. Morbi vero die 10-a valida febris evolvitur vesperi cum frigoris iuxta spinam dorsi decurrentis sensatione, horripilatione frequenti, calore subsequo, cum siti intensa per noctem totam durante; quae febris sub forma depascentis febris vario in gradu per hebdomadas fere novem continuat; — oris siccitas et cephalaea adsunt; mane symptomata febrilia remittunt et vesperi iterum exasperantur; urina pauca turbida cum dolore urente excernitur; 14-a tandem morbi die mane post paucae urinae turbidae lactescentis missionem nulla amplius secedit, magno nisu et dolorifico summam anxietatem causante ad illius evacuationem sine inter-

missione urgetur, ischuria adest perfecta, tremit toto corpore, anxius est, sudore frigido alget; vesperi *Catheter argenteus* in vesicam facile sine doloris excitatione insinuatur et magna urinae opacae, turbidae, purulentae, odorem ammoniacalem penetrantem spargentis quantitas evacuatur, sub fine pus merum tenuius ad uncias fere octo effluit. Arbitraria ad adhibitum nisum versus finem evacuationis per Catheterem lotii propulsio, vim vesicae contractivam adhuc superesse testatur. Per horas iterum 10 retenta excretio novam Catheteris applicationem exposcit. Sub hoc rerum statu aeger 16-a morbi die in Clinicum suscipitur nimis sensibilis, facie collapsa, colore universi corporis lurido, aspectu tristi, animo moroso, continuo de doloribus querulans; thorace lato respiratio anhelosa, abdomen inflatum, tensumque, super ossa pubis adest tumor inflammatorius, non circumscriptus, dolorificus, attactum reformidans, per vesicam urinariam versus anteriorem abdominis parietem tensam formari visus; in abdominis inferiore parte sugillationes lividae; aeger dolores fixos ad ossa ilei, ischii, sacrum et coccygis exagerando ingentes se sentire accusat; nullus in his locis tumor conspicitur, sed sugillationes visuntur, ad quarum attactum aeger eiulat, sic etiam ad quemvis corporis motum clamores edit; decubitus in latus sinistrum penitus denegatur; sub tentamine in latus dextrum decumbendi tumor in regione pubis elevatur, et tunc in hoc obscura fluctuatio sentitur; dum dein situm lateralem in supinum mutat dolores scindentes in dicto percipit tumore, qui sensim imminuitur et durus evadit: — in extremis pedibus sugillationes visuntur dolorificae; femur sinistrum tumet, dolet, attactus impatiens est; eius musculi ad internam faciem positi inflammati, duri tanguntur; adest siccitas oris, linguae sapor fatuus, sitis aucta, pulsus frequens, durus, appetitus immutatus; — alvus iam a triduo obstipa vesperi clysmate irritante reseratur. De morbi praesentis evolutione, progressu et effigie sic iudicavimus: vehemens contusio usque partes profundius iacentes protensa effusioni sanguinis copiosi intra telam cellulosam collum vesicae occupantem ansam dedit, qui sanguis non resorptus ut potentia nocens in partibus affectis, in telam cellulosam vesicae urinariae, cavi pelveos, et muscu-

lorum abdominalium inflammationis processum suscitavit, qui suppuratione terminatus abscessum efformavit intra membranas vesicae urinariae, quem cum clarissimo viro Petro Calissen Urocystopyocystidem nomino, qui tam in cavum vesicae apertus, Urocystopyorrhoeam i. e. puris ex vesica urinaria per urethram evacuationem, quam in cavum pelveos aperturam nactus, pus suum urina remixtum cum pure in abscessibus pelveos et intra strata musculorum abdominalium productis confudit. Ex hac idea facilis fuit explicatus evolutionis et totius status praesentis morbi, ulteriorque decursus et observatio comprobarunt adfuisse in aegro Urocystopyocystidem cum abscessibus pelveos, inter musculos abdominales tardius etiam inter femorales. — Cum fluctuationem nonnisi obscuram tangeremus profunde sitam, in proposito habuimus, nos Catheteris usum tamdiu nullum facturos, quamdiu saltem aeger urinam retinere valeret, ut repleta vesica, urina ex illa in abscessum ingredi, tumorem in pube formare, hoc ferramenti scindentis ope pertuso pus evacuari atque abscessus iniectionibus syringae ope perficiendis mundari possint. Scopo abscessus maturante apponimus abdomini *Cataplasmata emollientia*, quae diligenter renovamus. Ad loca sugillata applicamus *Fomenta tepida ex Infuso saturato Specierum aromaticarum cum Aqua Vegeto minerali Goulardi* spleniorum ope. — Ad statum virium debilem reflectentes *Sulfatis chinini* aliquot grana per diem aegro exhibemus. Morbi 17-a die post meridiem febris exacerbatur; abdomen sub cataplasmatibus totum intumescit, tenditur, livescit; regio pubis instar segmenti sphaerici elevatur, penes hunc alter tumor super inguine sinistro fluctuationem profunde sub musculis abdominalibus sitam exhibet; respiratio difficilis, anhelosa, brevis; n.-ctu alvus sponte evacuatur; somnus paucus; circa m-tutinum tempus pars capillata capitis sudore perfusa, urina absque incommodo per horas 36 retenta. — Die sequente, morbi 18-a in maxime elevatam fluctuantis tumoris partem duobus digitis supra arcum ossium pubis sinistrorsum magis instituitur *Oncotomia*, incisione tres pollices longa, unum et dimidium profunda per musculos abdominales in ipsum abscessum et moderata abdominis versus vulnus pressione puris urina remixti ali-

quot librae per aperturam propelluntur, abdomen collapsum expallescit, non tamen molle fit. Circa meditullium labii inferioris factae nunc transversalis incisionis patet orificium sinus, versus os pubis descendentis, cuius trans scissionem aliquot diebus distulimus, aegrum magnopere ad semel excruciare nolentes. — Per vulnus inflictum *linteo carpto sicco* leniter expletum lotium continuo stillabat horis circiter 24, per urethram nullum secessit; tum per vulnus et per urethram turbidum excretum multum puris ad fundum vasis vitrei deposuit, tandem post 72 horas ne vel guttula urinae amplius per vulnus prodiit et ab hoc tempore urina omnis normali sua via primis quidem diebus turbida-opaca, largum puriforme sedimentum deponens, ast successive limpidior, denique limpida excreta. — Febris, post factam Oncotomiam, exigua. — Sed morbi 22-a die sub febri horripilationibus stipata magnum dolorem fixum lacerantem in antica pelveos parte accusat, abdomine sub continuo cataplasmatum emollientium usu emollito. Transcindimus sequenti die sinum ad os pubis ducentem et magna iterum puris urina non inquinati copia evacuatur; linteo carpto sicco deligatur et aegro *Decoctum Corticis Peruviani saturatum cum Liquore anodyno minerali* exhibemus et aliquot diebus idem repetimus. Die vero morbi 29-a dolores minium magnos in regione iliaco-sacrali dextra accusanti sedecim *hirudines* apponimus et dolores remittunt; sed febris suppuratoria augetur. Facta exploratione abscessus specilli longi ope ulcus sinuosum detegimus novem pollices longum, retro arcum pubis a sinistris in pelvim descendens et ex hoc ad tuberositatem ossis ischii sinistri ducens, ad gluteum magnum coeco fine desinens. Hanc puris, una et febris depascentis fabricam sublaturi, acu triquetra Fleurantii, cuius cuspis cera praemuniebatur, pertundimus finem coecum ductus ulcerosi; hanc contra-aperturam in gluteo magno cultri ope ad unum dimidiumque pollicem dilatamus, et sic puris ultra decem Uncias ex abscessu per hoc novum ostium evacuamus, aqua tepida mundamus et subsequis diebus, quibus febris sensim remittit, *Decocto Florum Chamomillae vulgaris saturato* pluries per diem iniecto profusam suppurationem cohibemus. *Decocti Corticis Peruviani usum internum* quoque facimus *cum gra-*

*nis quatuor Sulfatis Chinini*, aegrum quotidie semel *balneo tepido* imponimus fine ulcera et cutim mundandi et textum cellulosum cutaneum, atque musculos adductores femoris sinistri duros, tumentes, atque dolentes, inflammatos emolliendi. In loca sugillata *Spiritum aromaticum cum Camphorato, ut et* in regionem Sacro-coccygeam a decubitu rubentem infricamus; sedes alvinas tardas *Clysmatibus emollientibus* quotidie provocamus. Sub hac Therapia usque 34-am morbi diem febris omnis aegrum deserit et quia labia et fundus vulneris in pube nimis flaccida sunt, *Decoctum Corticis Quercus saturatum cum Aqua vulneraria spirituosa* pro deligatione adhibemus. Sequenti die ad decubitum excoriatum suppurans *Ungventum album camphoratum* apponimus et per tres hebdomadas usque decubitus consanationem continuamus. Die morbi 37-a figura vulneris in pube fuit infundibuliformis in sinum excurrens, qui retro arcum ossium pubis, cuius periosteum nudum videri poterat, per pelvim deorsum ad contraaperturam in gluteo magno eiusdem lateris positam decurrebat. Hic sinus pus genuinum producens granulatione debite procedente sensim ac successive angustabatur, ne vero ante consolidationem papillarum carnearum per granulationis processum productarum pars eius superior concrescat, inferior vero suppurare continuet, et tunc suppurationis negotium debite regere non valentibus partes contiguas devastet, impositione turundae eundem continuo apertum servamus. Aeger a doloribus et febri immunis tantum topice curatur; a balneorum usu desistimus, cum aegrum debilitent: — ad dispellendum vero, vel maturandum etiam tumorem inflammatorium femoris *Cataplasmata* apponimus *emollientia*, sinum per iniectiones *Decocti Florum Chamomillae vulgaris saturati tepidi* mundamus, partes vicinas *pressione moderata* sub qualibet deligatione soleter investigamus, num forte puris infiltratio in aliquam partem accidat? — Morbi die 40-a ad pressionem digiti ope, eo loco tumido duro factam, quo in parte superiore femoris arteriae cruralis pulsationem digitorum apicibus explorare consvevimus, pus tenue per contraaperturam profluere videmus; ex contraapertura in hac directione specillo explorationem instituimus et sinum profundum oblique sursum in femore ascen-

dentem detegimus; quare ad emolliendum tumorem *Cataplasmata emollientia* diu noctuque apponere continuamus. — Die morbi 42-a post meridiem aeger febri valida cum frigore et horripilatione corripitur, certo indicio in femore abscessum formari; ideo exhibito interne *Sulfate Chinini* externe *Cataplasmata* et *moderatam puris expressionem* continuamus atque 45-a morbi die illo loco, quo nudius tertius pressionem in tumorem durum exeruimus, paulo inferius, ubi tumor mollior est et fluctuationem manifeste perceptibilem admittit, *cultri Savigni*, per contraaperturam primam inserti, *ope* in maxime emollitam tumoris partem aliam contraaperturam longitudinalem duos pollices longam facimus et nunc patet hic loci latere magnam cavitatem pure repletam, abscessum nempe infra adductorem longum femoris sinistri reconditum, hunc *aqua tepida iniecta* a pure mundamus, *linteo carpto sicco* leniter explemus, *Cataplasmata* ultro apponimus. Post biduum febris disparet, tumor vero inflammatorius in femore multum imminuitur, quo fit, ut contraapertura haec novissime facta sui dimidio brevior redderetur. Morbi die 50-a iuxta decursum musculi adductoris longi femoris ab ultima contraapertura genu versus unum sinum, a prima Contraapertura versus perinaeum alterum et ad angulum sinistrum aperturae primae transversae sub oncotomia factae in regione pubis sitae tertium sinum non obstante omni circumspectione et mundatione in partibus sugillatis exortos, detegimus, quos medio pressionis *per fasciationem* sufferre conamur, sic inflammationem cohaesivam provocare intendentes; sed incassum; cogimur itaque die morbi 57-a illum in pube; 59-a illum in perinaeo, et die 62-a etiam illum in femore, musculum nempe adductorem longum femoris per medium transcindere et e sinubus poterioribus duobus unum vulnus non interruptum formare, ut puri in sinu femorali iuxta et infra musculum adductorem femoris longum decurrenti per fasciam graduatam expulsivam liber effluxus concedatur; et nunc iam *continuata* per longius tempus *super splenia graduata fasciatione* hic sinus tandem coaluit. Interea aeger usque morbi 67-am diem vires corporis ita recuperavit, ut iam lectum deserere et obambulare potuerit. Adhuc unus sinus subcutaneus quidem exortus, ad quem specillo patuit acces-

sus ex apertura pubis per inguina sub ligamento Pouparti iuxta decursum vasorum magnorum, lymphae plasticae similem liquorem fundens, in hunc sinum saepius per diem e *Decocto Corticis Ulmi campestris saturato cum Mele Rosarum* iniectiones facimus, iniectum fluidum digitis exprimimus et *fascia aristata* suppositis eidem spleniis graduatis *pressionem moderatam in sinum* exerimus, cuius effectus in coalitione sinus habetur, quae intra dies octo perficitur. In sinum principalem multum coarctatum longiori iam tempore nulla amplius turunda imponebatur et vulnus in pube usque cicatrisationem fere perductum, illud in femore inflammatione omni fere dissipata multum imminutum; pure genuino secreto, granulationis processu debite procedente sinus principalis per pelvim transiens impervius redditur. Supererat sola consolidatio superioris eius orificii atque illa vulneris perinaeo-femoralis, quae etiam intra octiduum evenit et aeger summo vitae discrimini ereptus morbi 81-a, Curae nostrae 65-a die perfecte sanus Clinicum Universitatis dereliquit.

## Calculi urethrales.

In aegro 58-vo in regione partis membranaceae urethrae versus perinaeum tangebatur congeries calculorum urethralium, saccum magnitudinis ovi anserini efformantium, sub attactu strepitum edentium, cum incontinentia urinae perfecta, phimosi et strictura orificii urethrae. Post factam in tumorem incisionem volsellae auxilio excipiuntur ex illo calculi numero 189 variae magnitudinis, qui omnes excepto unico pyramides tetraëdras regulares superficie laevigata praeditas referebant; ille unus vero figurae ovalis fuit et collo vesicae urinariae inhaerens causam incontinentiae urinae constituit, illo enim sublato haec cessavit; in vesica urinaria nullus inventus. Orificium urethrae constrictum post fissione sublatam phimosim scalpello dilatari debuit, ut specillo in urethram inserto calculi in urethram ipsam incuneati versus saccum apertum propelli atque educi potuerint. — Constabant Calculi ex Urate Ammoniae et Ammonia atque Magnesia

phosphorica. Vulnere spatio dierum quatuordecim consanato aeger perfecte sanus Nosocomium deseruit.

Non ita felix fuit alter aeger 68-vus aeque Calculis urethralibus eodem loco reclusis et urinae incontinentia divexatus. Huius urina continuo stillans odorem ammoniacalem, acrem, penetrantem sparsit et largum sabulosum deposuit sedimentum; saccus scalpello apertus calculum continebat tuberosum, qui uno fine in collo vesicae incuneatus, sub eductione diffringi debuit, magnitudine digitum pollicem viri adulti fortis adaequans. Incontinentia urinae etiam post operationem remansit et plures calculi renales sub suo per ureteres descensu magnos dolores provocantes, magnitudine nucis avellanae et ultra secedentes vulneris sanationem retardarunt. Vulnere vero perfecte coalito dimissus aeger anno sequente rediit et duos calculos sub exploratione itinerarii ope facta in vesica latentes exhibuit et ut incurabilis tristi suae sorti commissus remediis palliativis dolores sedantibus provisus dimitti debuit. Uterque aeger de aetate virili fuit.

## Calculi vesicales.

Aeger 25-us puer annorum decem, uti et ceteri omnes per Urocystotomiam sectione laterali a calculo liberatus, vulnere per hebdomadas sex perfecte consanato, sanus et vegetus dimissus fuit, nec est spatio annorum quinque recidivam passus ita, ut huc ad usque operatio curam radicalem in illo constituerit et puer nunc in adolescentem fortem et corpore bene evoluto praeditum excreverit. Alterum calculosum aegrum nimis sensibilem quatuordecim annorum puerum versus finem anni scholastici tractandum suscepimus, qui decimo aetatis anno, post velocem et longum cursum, mictum cruentum sibi adsciverat brevi durantem; per annum dimidium dein sanus persistens incontinentia urinae affligi incipit, qua habituali reddita, accedentibus insuper spasticis vesicae urinariae doloribus aeger multum excruciabatur. Exploratorium in vesicam inductum uti et exploratio per anum suscepta, calculum, praesen-

tis mali causam constituere nos edocet. Quamlibet pervestigationem insultus spasmodicus plurium horarum cum prolapsu ani insequitur, qui antispasmodicorum internum et externum gravem exposcit apparatum. Ut vero aeger irritationi sub exploratione contingenti asvefieret omni altera vel tertia die illam suscipimus, spasmos congruis remediis, inter quae *Opium* ceteris palmam praeripuit, sedamus et aegrum, quantum in potestate haberet, urinam retinere iubemus. Hunc curandi modum per menses duos sequendo eo rem deducimus, ut aeger insinuationem itinerarii absque dolorum spasticorum excitatione ferret, urinam per horas plures retinere valeret et ad sustinendam operationem gravem aptus redderetur; sed ingruentibus feriis autumnalibus domum mitti debuit. Sub initium anni scholastici proxime insequentis iterum in clinicum susceptus itinerarium aegre quidem, melius tamen quam anno praecedente tulit, urinam aliquamdiu retentam cum dolore iam rivo continuo, iam vero involuntarie praecipue sub somno guttatim evacuavit; calculi in sinistro vesicae latere latentis superficies aspera tangebatur. Tandem post 34 dierum curam praeparatoriam die 13-a Dec. operationi subiicitur, quae usque ad illud momentum, sub quo eductio calculi insinuato forcipe per factam iusto magnam lateralem perinaeo-urethrali-cysticam sectionem tentaretur, felici successu coronabatur, hoc vero momento spasticae vulneris et vesicae contractiones atque dolores immanes sub prehensione et tentamine calculum educendi exorti spasticas convulsiones toti corpori communicant, vomitum suscitant et conatus nostros per dimidium horae impensos exoptato effectu frustrantur. Calculum, cuius exiguas nonnisi portiones abruptas excipere licuit, in vesica relinquere coacti, ut cessante spasmo ad oras vulneris dehiscat et tunc eductio eius vel arte vel per suppurationis processum autocratia naturae operante succedat, vulnere linteo carpto obtecto aegrum lecto illocamus, frigentem obtegimus, sitienti potum theatum ex *Inf. Flor. Chamom. vulg.* exhibemus. Ad haemorrhagiam sistendam *fomenta frigida* et contra spasmos et nefors haemorrhagiam internam *Emuls. oleoso-gummosam cum Extracto Hyoscyami et Inunctionem abdominis cum Oleo Chamom. cocto* in usum vocamus; spasmis vero post horas quatuor non remitten-

tibus, praesente lapsu virium notabili cum frigore et pallore universi corporis, pulsu spastico, contracto, oscitatione frequenti et somnolentia, haemorrhagia vero nulla, *Pulveres ex Moscho genuino* aegro ordinamus et *Cataplasmata emollienti-narcotica* abdomini apponimus. Die sequenti loco Emulsionis *Decoctum Salep cum Extracto Hyoscyami* praescribimus spasmi clonici remittunt, vulneris sensibilitas magna, dolores vesicae abdominis pressione aucti. *Clysma emolienti-narcoticum* die 16-a hucusque adhibitis remediis adiicimus et 17-a Dec. dolores iidem, inquietudo et debilitas magna, cutis pallor, appetitus exiguus. Decocti *Salep* loco *Extr. Corticis Peruv. solut. in aqua Cerasor. nigrorum cum Extr. Hyoscyami;* cetera allata remedia continuantur. Die 18-a et 19-a febris et dolores eminentes in vulnere, oedema in scroto ab infiltrata urina acerrima perinaeum excoriante. Partibus excoriatis *Ungv. nutritum* applicatur; *aqua tepida* vulnus omni hora abluitur. Die 21-a Dec. febris, dolores et spasmi vesicae cessant, sensibilitas remittit, investigatio specilli ope possibilis calculum orae vulneris vicinum esse monstrat. Sepositis internis et continuatis iisdem externis remediis *fomenta sicca ex linteis baccis Iuniperi perfumatis* scroto oedematoso apponuntur. Diebus 22-a et 23-a idem; 24-a sudor profusus sine febri eminente a lapsu virium et suppuratione profusa. Sepositis cunctis exceptis fumigationibus Juniperinis *Dec. Cort. Chinae fuscae et Lichenis Island. interne, pulverem Cretae cum Cerussa pauca forma fomenti sicci calidi* in scroto oedematoso adhibemus. Dec. 26-a cum urina simul sabuli quantitas investigationi chemicae suscipiendae sufficiens propellitur, quae calculum urate ammoniae et gelatina constare nos docet. Sequentibus diebus debilitas aegri ingravescit et febris characterem typhodem nanciscitur, meteorismus et decubitus molestus adest, duratque hic status usque Januarii 2-am; adhibentur *Dec. Cort. Chinae fuscae cui infundebatur Arnicae radix, cum Camphora; Moschus in pulvere;* fomenta super abdomen et decubitum ex *Infuso Spec. aromaticarum cum Spiritu Camphorato.* Jan. 2-a typho iam remittente dolores vesicae intensissimi nixum provocantes intestinum rectum propellunt et spasmos universi corporis clonicos provocant, contra

quos *Aqua Cerasorum nigror. cum pulv. gummi Arabici et Extr. Hyosc. Opium, Belladonna, Castroreum* sine optato levamine exhibentur; tandem pulveres constantes ex: *Acetatis Morphii grano uno cum succo Liquiritiae et Saccharo in* 16. *aequales partes diviso, omni tertia hora unus, aegro exhibiti dolores cum spasmis sedant, soporem exiguum* provocant. Viribus dein versus finem Januarii recuperatis *balneorum tepidorum* usum facit aeger; appetitu vigente multum restauratur; dolores et spasmi nulli, oedema dispulsum, calculus adhuc in vesica haerens, vulnus autem adeo coarctatum, ut canalem referret luminis in diametro crassitiem calami scriptorii adaequantis. Calculi eductionem ultro adhuc tentare volentibus vulneris dilatatio iusta in votis erat; ita dictam siccam dilatationem adhibere maluimus; haec optime successit impositis crassissimis, quae exstant, *chordis musicis*, quae humore attracto quoad volumen ferme in duplum auctae, canalem praesentem dilatarunt; quavis die una vel duabus chordis plus insinuabatur; irritatio per eas provocata fuit mediocris, sensibilitas non immodica, muci in vesica secreti copia magna et fines chordarum in collo vesicae haerentes Urate Ammoniae incrustati; post octiduum chordarum frustilla in canalem inducta iam 13. numerabantur, quarum actione eius lumen tam amplum evasit, ut per eum digitus index facile insinuari et calculus vesicalis tactu explorari potuerit. Explorantibus patuit vesicae membranas incrassatas, calculum vero tuberosum et aspera superficie scabrum parte sua ampliori sacco membranaceo reclusum esse et antica sola parte nudum in vesicam propendere, forcipe prehensa haec pars antica, huius actione diffringebatur et fragmenta aquae tepidae iniectione mediante eluta sunt; Sacco reclusa pars solvi non potuit, imo per iterata tentamina irritata vesica, ut iam sub ipsa operatione evenit spastice contrahebatur, calculus vero sursum attrahebatur ita, ut amplius attingi non valuerit. *Acetatis Morphii et balneorum tepidorum virtus* irritationis huius novae sequelas spatio dierum quatuordecim sustulerunt et aeger incurabilis domum dimissus est.

Tertius aeger, vir annorum 35. a quarto aetatis suae anno dysuria per annos octo affectus, nulli reme-

dio cedenti, qua 12-mo aetatis anno sponte evanescente excepta febri intermittente tertiana sanus vixit usquedum 30-um vitae annum adtigisset, quo anno iterum dysuria cum haematuria connexa affectus lotium excrevit sanguine soluto coloratum, foetidum, ammoniacalem odorem spirans, sedimento mucoso instructum per dies aliquot; recurrebat haec affectio morbosa periodice omni mense aegrum per dies 4 aut 5 divexans. Aetatis 33-io anno vere et autumno semel accidit ut urinam mere sanguinolentam, imo et sanguinem grumosum per diem unam integram evacuaret. Ab hoc tempore molestiae frequentius quam antea, omni mense saepius recurrebant et 34-to aetatis anno haematuria cessavit, sed ante sub et post quamvis urinae excretionem dolores in vesica et urethra persensit immanes, lotium sub dolorum insultu excretum in suo fluxu saepius interruptum modo stillabat, modo attractione membri et variis corporis motibus ad fluxum perducebatur, turbida, acris, graveolens, sedimentum mucosum sabulosum deponens; accesserunt tandem dolores in regionibus lumbaribus sedem figentes et deorsum in pelvim extensi. Aeger in Clinicum receptus emaciatus, cachecticus, dum stat, ambulat, vel sedet, percipit ad symphysim ossium pubis, dum supinus iacet in regione sacrali sensum alicuius ponderis, sub urinae et alvi evacuatione nixum adeo intensum, ut sub hac dolorifica adstrictione intestinum rectum perfrequenter prolabatur; adsunt dolor punctorius in dextro pectoris latere, symptomata affectionis gastricae biliosae et sub investigatione calculus mobilis, liber in vesica perceptibilis. Digestionis vigore *Arcani duplicati in Aqua Cerasorum nigr. soluti usum* restituto operatio iuxta Kleinium spatio minutorum decem perfecta citius successisset nisi arteria transversa perinaei sat crassa sub operatione laesa deligari et volsella anulata, cuius usum ad prehendendum et educendum calculum forcipis loco facere diligimus, a calculo prehenso bis delapsa, calculus iterum quaeri et prehendi debuisset. Post operationem in et externe antiphlogistice tractatus aeger, sequenti die febri gastrico-biliosa afficitur et spatio quinque dierum per medicinam iam adnotatam toties per diem sumtam, ut binas ternasve alvi depositiones provocaret, ab ea liberatus, appetitu et

habitu optimo gaudens iam septima post operationem die urinam per urethram rivo non interrupto evacuare incipit, sed nunc vulneris labia inflammantur et intumescunt, urina perinaeo et scroto infiltratur; perinaeo fomenta humida calida emollientia; scroto sicca fumo baccarum Juniperi imbuta apponuntur, tumori perinaeali insuper *Ungu. Altheae cum Ungu. Hydrargyri ciner.* inungitur, aegerque balneatur; suppuratio profusa subsequitur ex sinu ulceroso recens orto, qui *Decocto Chamom. cum Aqua Calcis* mundatur, tandem transcinditur. Vulnere vero debite suppurante et granulante urina maxima sui parte volente aegro per urethram evacuatur, qui illam per horas quatuor et ultra retinere valet. Porro ut Diaethesis ad calculorum ex phosphate calcis constantium generationem prona deleatur, aegro *Acidum Muriaticum in Dec. Salep praescribitur*, quod per mensem integrum sumere continuat, quo temporis intervallo vulnere iam multum coarctato pressionem, scarificationem et cauterisationem ad eius perfectam cicatrisationem obtinendam incassum suscipimus et aegrum ad domesticos labores redire cupidum, de vitae ratione recta observanda instructum cum Fistula urethrali dimittere cogimur. Rediit post medium annum absque fistula, sed de doloribus renum querulans tardius investigatus calculum novum exhibuit: aestate denique praeterlapsa domi inter carpendum cerasa de arbore lapsus pectoris labem contraxit et proxima hieme ex febri lenta obiit.

# Theses defendendae.

1. Omnes corporis animalis partes propriam vitam vivunt.
2. Dentes systematis cutanei appendices sunt.
3. Omnes hucdum prolatae generationis theoriae hypotheticae mereque fictae sunt.
4. Systema nervosum feminae altiorem vitam vivit, quam illud maris.
5. Sublata morbi causa non semper cessat effectus.
6. Regimen diaeteticum in morbis chronicis saepe optima medicina.
7. In extractione cataractae sectio semilunaris corneae inferiora versus facta praestat tali superiora versus institutae.
8. Chirurgus in exercitio artis nec temerarius, nec timidus, sed audax sit, oportet.
9. Nulla existit pulmonum proba omnibus numeris absoluta.
10. Dies criticae et crises summi sunt momenti in morbis acutis.